
BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA








Harrewyn
fecit

LIVINI MEYERI

E SOCIETATE

JESU

POEMATUM

LIBRI DUODECIM.





BRUXELLIS,
Typis EUGENII HENRICI FRICX,
Typographi Cæsarei. 1727.

Cum Approbatione & Privilegio.

PERILLUSTRI VIRO AC DOMINO,

DOMINO OLIVERIO

BARONI DE REYLOF

MÆCENATI ET PATRONO SUO COLENDISSIMO,

LIVINUS MEYERUS.



Ihil à veterum uſu & conſuetudine alienum facio, Vir Perilluſtris, quando has Muſas meas ad te defero, tantumque mihi ſumo, ut, de tuo erga me animo multis argumentis ſecurus, eas & nomini tuo inſcribere, & potenti patrocinio non verear commendare. Sic enim olim Poëtarum Principes, quorum divina Poëmata, quamvis ſat tuta firmaque per ſe, & ſupra omnem invidiæ morſum poſita erant, ea tamen Mæcenatibus ſuis, ipſique etiam Cæſari Auguſto, inſigni ingeniorum æſtimatori, legimus dedicaſſe: tum quòd hoc humanitatis officium grati animi candor exigeret; tum etiam ut ipſorum elegantiſſimæ lucubrationes majorem quemdam illuſtrioremque à tantorum Patronorum dignitate ac majeſtate ſplen-

dorem commendationemque acciperent. Etenim ipse Ovidius, vir cælestis ingenii, Augusti Cæsaris triumphum, quem in exilio præclarissimo carmine celebraverat, Romam ad Rufinum poëtam mittens, eum ipsius tutelæ non dubitavit commendare his versiculis:

Est opus exiguum, vestrisque paratibus impar.
Quale tamen cumque est, ut tueare rogo.
Firma valent per se, nullumque Machaona quærunt:
Ad medicam dubius confugit æger opem.
Non opus est magnis placido lectore poëtis:
Quamlibet invitum difficilemque tenent.
Nos, quibus ingenium longi minuêre labores,
Aut etiam nullum forsitan ante fuit.
Viribus infirmi, vestro candore valemus.
Quem mihi si demas, omnia rapta putem.

Quam potiori titulo hos ego versus adoptare, & ad te, qui inter præcipuos hujus seculi poëtas numeraris, & possum & debeo confugere: cum Musæ meæ, quæ conditione sua non sunt admodum commendabiles, nisi patrocinio tuo sustineantur, meritò timere possint ne eamdem, quam tot aliorum scripta, sortem experiantur, ut eodem occidant quo nascuntur anno. Sunt enim ea indole critici hujus temporis, ut faciliùs aliena arrodere

re atque deprimere, quàm componere meliora, ſuaque ipſimet audeant in lucem proferre. Sicut ergo judicia horum, qui nullo edito hujus artis ſpecimine ſpectabiles ſunt, non magnopere curanda ac formidanda exiſtimo; ſic eorum, quorum ſcripta publica Parnaſſum & Heliconem olent, criticam veneror, & cenſuram amplector; paratus horum ſtare & cadere teſtimonio, quidquid ipſi aut retinendum, aut corrigendum duxerint. Hoc nomine, Vir eruditiſſime, haſce lucubrationes meas, quas inter alias frontis ſeverioris occupationes horæ furtivæ pepererunt, judicio tuo, quod hic plurimum valet, ultro volenſque ſubmitto; minimè anxius an lectoribus aliis ſint diſplicituræ, ſi has tibi utcumque placuiſſe conſtiterit. Te enim (quod citra adulationem dicere liceat) omnium diſciplinarum abripit ingenitus ardor & ſtudium: & illud quidem tam pertinax, tamque aſſiduum, ut nullum tibi diem elabi patiaris, cujus partem aliquam non conſecres aut pervolutandis tam ſacris quàm profanis hiſtoriis, aut enodandis Philoſophorum

placitis, aut perſcrutandis ſublimioribus ſacræ Theologiæ ac divinarum Scripturarum oraculis, aut denique perfruendis deliciis Muſarum. Hinc nullum eſt publicum certamen literarium, ad quod editis theſibus provocantur eruditi, in quo te argumentantium cœtui cum laude non inſeras. Quantum verò tibi naſcenti arriſerint Muſæ elegantiores, teſtantur varia à te edita in lucem poëmata, judicio comprobata omnium qui Pegaſeo fonti vel tantillum extrema labia admoverunt. Specimina duo hactenus inedita, quæ ad me pridem mittere dignatus es, fronti hujus opuſculi præfixa Lector inveniet, eaque tam ſuo in genere terſa atque polita, ut ne Argus quidem reperire in iis poſſit quæ carpat, præter laudes meas, quibus me meaſque Muſas, magis pro affectu in me tuo, quàm pro meritis & rei veritate celebrare voluiſti. Accipe igitur, Vir præclariſſime, hunc qualemcumque conatum meum, & patere ut prodeat nomini tuo inſcriptus hic libellus, ſitque apud poſteros æternum tuorum in me meritorum teſtimonium ac monumentum.

DE LIBRIS DE IRA
JUDICIUM

Gravium virorum, qui Acta eruditorum *edunt* Lipsiæ, *ad annum* 1694. *quo tempore hoc poëma primùm lucem aspexit,*

INter animi vitia, quibus natura hominis insigniter deformatur, & vel in brutorum conditionem abjicitur, vix aliquod vehementius est nocentiusque quàm *Ira.* Unde & reperti sunt omni tempore inter sapientes viri prudentiæ, & eruditionis opinione inclyti, qui præclarè de humano genere merituri disertissimis verbis docuerunt, quomodo malo tam præcipiti medicina afferri debeat. Inter illos principe loco collocandus est *L. Annæus Seneca*, cujus inter libros Philosophicos *tres de Ira* primi conscripti sunt à viro rerum honestarum intelligentissimo, certè primi omnium in ejus operibus exhibentur. In iis enimvero non monstrat tantùm, quomodo Ira sit noscenda, sed monet etiam, quomodo fugienda sit, quæque remedia adversus hostem tam sævum sint expromenda, ex quibus duo imprimis nominat; ne videlicet irascamur, & porrò, ne in ira peccemus; quæ omnia & pulcherrimè & utilissimè per totum illud opus exequitur. Quum verò argumentum hoc à nemine hactenus syllabarum atque vocum concentu pertractatum sit, id eò lubentiùs occupavit atque elegit sibi doctissimus *Livinus de Meyer* è Societate Jesu, Poëta felicissimus. Nam præter Poëmatis suavitatem, quâ delectare Lectores studuit, etiam rei ipsius, de qua agere instituit, utilitate impensè prodesse poterit.

Ipſe quoque in *tres libros* diſpeſcuit opuſculum, in quorum *priori* in *cauſas Iræ* atque irritamenta ſolerter inquirit, quæ tam levia, tam tenuia aliquando eſſe docet, ut mirum ſit, hominum animos iiſdem ad iracundiam commoveri poſſe. Pòſt libro *ſecundo* ad *ſigna Iræ* progreditur, quibuſque indiciis agnoſcenda ſit, & quæ *damna* exindè conſequantur, graviter oſtendit. Tum verò libro *tertio remedia* contra Iram inſtillat, & ut compeſcendus ſit cum ratione efferveſcens animi impetus, ſuaviſſimis monitis inculcat. Nec verò mirum alicui videri debet, quod Elegiaco metro uſus ſit: Nam præterquam quod materiæ propoſitæ gravitas ea non ſit, ut Heroici metri majeſtatem efflagitet; exemplis etiam Poëta noſter defendi poteſt. Quod enim hoc carminis genus non ad luctus ſolùm & amores, ſed ad argumenta etiam graviora atque frontis ſeverioris accommodari queat, & Propertii Pugna Actiaca, & Ovidii Faſtorum libri abundè comprobant. Cæterum quàm feliciter in hoc poëtandi genere verſatus fuerit Auctor, elegantiſſimi verſus loquuntur, in quibus certè ad veterum illorum elegantiam perſpicuitatemque adſpirat; ſi non & aliquos in his rebus ſuperat; ut adeò Lectoris otium, quod legendo huic poëmati impendet, & amœnitate ſua & utilitate ſatis ſuperque compenſaturus ſit. Votum modo adjicimus, ut reliquas ſapientiæ partes eâdem venæ florentiſſimæ felicitate excolere Vir eruditiſſimus pergat.

R. P.

R. P. LIVINO MEYERO

E' SOCIETATE JESU

JACOBUS WALLIUS

Cùm ſe Poëtam corpore ſenem, animo juvenem eleganti carmine celebraſſet.

ANnos ſi memorem, bene quos memorare ſenectus
Longa ſolet, quem dat curſum natura, peregi.
Nec conviva ſatur dubiâ deſurgere cœnâ,
Nec vitæ plenus vitâ migrare recuſem.
Ducitur interea mihi tertia Neſtoris ætas,
Meque (quod ô ſuperi!) ſuperis poſcentibus addet.
Evocor hinc aliò. Quid me, Livine, moraris,
Et mihi neſcio quid fingis ſupereſſe juventæ?
Qui quondam leviter circùm præcordia ſanguis
Intepuit, friget. Tardâ ſubeunte ſenectâ
Omnia tardeſcunt: & ſum quoque magna querelæ
Parſque fideſque meæ: torpent ad carmina vires.
Nîl adeò aſpirant Muſæ Phœbuſque canenti.
Non eadem ſemper blandos clementia cæli
Fundit humo flores: nec ſemper vatibus idem
Eſt vigor. Aoniis minuuntur collibus umbræ:
Non lauro decus æternum eſt: odor interit: aret
Deciduis truncus foliis: è fontibus ipſis
Parciùs interdum manant Aganippides undæ.
Quod ſibi cantari ſero ſub veſpere juſſit
Dulcem inter citharæ ſtrepitum, plauſuſque ſuorum
Pacuvius dapibuſque ſibi vinoque parentans,
Funeris & ritu ſupremo elatus honore,
Vos cari vates, vixit, mihi dicite, vixit.

Ah nimis ex vero! neque enim ſimulamina leti
Ludicra me teneant, nec juſta noviſſima ficto
Prævertam planctu. Certus manet exitus omnes.
Seriùs, aut citiùs vacuas implebimus urnas.
Vos ô, ne memori factus cinis eximar ævo,
Livini carmen cineri ſuperaddite noſtro.

Ut longiùs hoc poëmation ducerem, nihil venuſtius excogitare poteram, quàm illud, quod Seneca cum villico ſuo colloquium habuit, quo molliter ac facetè ſenectutis ſuæ ſe admonitum refert.

Quocumque, inquit, *me verto, argumenta ſenectutis meæ video. Veneram in ſuburbanum meum, & querebar de impenſis ædificii dilabentis. Ait villicus non eſſe negligentiæ ſuæ vitium. Omnia ſe facere, ſed villam veterem eſſe. Hæc villa inter manus meas crevit. Quid mihi futurum eſt, ſi jam putria ſint ætatis meæ ſaxa? Iratus illi proximam occaſionem ſtomachandi arripio. Apparet, inquam, has platanos negligi: nullas habent frondes. Quàm nodoſi ſunt, & retorridi rami: quàm triſtes & ſqualidi trunci. Hoc non accideret, ſi quis has circumfoderet, ſi irrigaret. Jurat per Genium meum ſe omnia facere, in nulla re ceſſare curam ſuam, ſed illas vetulas eſſe. Quod inter nos ſit, ego illas poſueram, ego illarum primum videram folium. Debeo hoc ſuburbano meo, quod mihi ſenectus mea, quocumque adveneram, apparuit.* Epiſt. 12.

Exarſit mihi, fateor, exarſit animus, ut hæc cùm legerem, & ſæpiùs relegendo prolixiora, jucundioraque facerem, poëticâ paraphraſi copioſiùs efferrem. Sed ut Senecæ ſua, ſic mea mihi ſenectus apparuit, ac ſenſi ægrè me poſſe uberem & amœnam, quæ ſe mihi offerebat, materiam in pedes cogere, tametſi id vellem quàm maximè. Nimirum pro elegante ac ſuavi tua Elegia par aliquid me tibi rependere æquum erat.

Non

Non enim illa mihi honori tantùm & voluptati, ſed etiam admirationi fuit, quod inter aſperos horrenteſque philoſophorum dumos felici ingenio venâque profuſa ſit. Virgilianum illud hîc valeat,

Reſonant & acanthida dumi.

Quod pro illâ paucos & tenues verſiculos reponam, ætati meæ potiùs, quàm inertiæ tribuendum, quippe qui annos Neſtoreos attigerim. Non enim, ut poëtæ noſtri amant multa ὑπερόχως dicere, ſeculum annis centum, ſed triginta tantummodo definitur, ut Græcorum Latinorumque ſcriptorum teſtimoniis probat Cerda * noſter. At quis inhorreſcente brumâ, cui effeta & ſterilis noſtra hæc ſenectus comparatur, aut vernos odoriferoſque flores, aut æſtivo ſole percoctas fruges, aut ulmos pampineo gravidas autumno exſpectet? Convenit quoque te mihi dilationis ſenibus innatæ gratiam facere, atque audire te velim Syram Plautinam, cùm tardiorem illius inceſſum increparet Dorippa.

† Dor. . . . . *Quin is ociùs?*
Syr. *Nequeo me caſtor: tantum hoc onus eſt, quod fero.*
Dor. *Quod onus?* Syr. *annos octoginta & quatuor:*
Et eodem accedit ſervitus, ſudor, ſitis.

Hîc Muſa mea exilit, & gravioribus de cauſis præ Syrâ ſe tarditatis culpâ exſolvendam putat. Natu enim, inquit, ſum grandior, ſi de ætate agitur; ſi de ſervitute, neſcit Syra, quàm operoſum ſit famæ & exiſtimationi ſervire, cùm ſcribendum eſt carmen erudito lectori placiturum. Neſcit itidem quanto ſudore in ſublimem nubeſque cacumine ſuperantem Parnaſſum connitendum ſit: quò cùm denique perventum eſt, ne

* *Lib.* 8. *Æneid. V.* 508.
† *In Mercatore Ac.* 4. *Sc.* 1.

ne inter canendum vocis via siti præcludatur, Caballini fontis haustus pro nectare est.

Quod his addam, nihil est præter vota, quibus suppliciter Deum precor, ut, quoniam ea quæ quisque sibi, eadem & amanti optare debet, senectutem diuturniorem & valentiorem meâ tibi proroget. Vale igitur tuo publicoque bono, amicorum optime, & me memoriâ apud Deum complectere perpetuâ.

R. P. EMMANUELIS VAN OUTERS S. J.

ELEGIA

AD

P. LIVINUM MEYERUM

Ex eadem Societate.

I Nunc, & Musas livor dic esse sepultas,
Iratos Belgis, improbe, finge Deos.
Hosschius occiderit : tamen ars non occidit omnis.
Hosschius heredem repperit, arsque suum.
Wallius ad tumulum sensim declinet eundem:
Impatiens tumuli Musa superstes erit.
Becanus Siculæ felix imitator avenæ,
Jam sibi, jam summam credat adesse diem:
Summa dies adsit; non omnis silva tacebit,
Non omnis, rapto vate, tacebit ager.
Meyerus superest (Superis sit gratia!) Gandæ
Laudibus ingenii gloria spesque suæ.
Wallius, Hosschiades, Becanus vivet in illo.
Tres unus referet : par tribus unus erit.

Perlege,

Perlege, si dubitas, hæc carmina perlege livor,
Si potes hoc ullo jure negare, nega.
Sæpiùs illa quidem legi, rursusque relegi,
Assiduâ numquam non relegenda manu,
Carmina quæ Naso, sua quæ velit esse Tibullus,
Carmina quæ pretio quolibet Umber emat.
Et quoties relego, miror magis : & mihi dico,
Vix tulit huic Belgæ Roma superba parem.
Quantus adest numeris decor, & quæ gratia verbis!
Quàm facilis cursu divite vena meat!
Aureus est sermo, nitor aureus, aurea lima,
Aurea res, qualem suggerit unus amor.
Nîl hiat, obscurum nihil est, nîl longius æquo,
Invitum nihil est : omnia sponte fluunt.
Nîl affectatum est : sed culta renidet ubique
Simplicitas, qualem Roma vetusta probet.
Ne tibi blandiri fingas, Livine, sodalem.
Quæ venit, ex merito laus tibi tota venit.
Blandiri numquam didici, neque demere cuiquam
Partem aliquam justæ laudis : utrumque malum est.
Hei mihi! te numeris laudat mea Musa coactis.
A numeris quantum dissidet illa tuis!
Cur mihi tam sterilis, cur tamque malignus Apollo est?
Me miserum, soli cur favet ille tibi!
Sed non invideo : faveat magis. O mea felix
Patria! si dotes noverit illa tuas.
Audiat hunc unum posthac precor : illius ore
Certa sibi Phœbum Pieridesque loqui.
Nequidquam teneros non ille docebit alumnos
Arida, pro veris fontibus, antra sequi.
Infectos vitio rivos & sordida stagna
Negligit, insanum quæ modò vulgus amat.
Hoc duce Parnassi, si quo duce, culmina scandes.
Novit quam tenuit, quaque tenenda via est.

PERIL-

PERILLUSTRIS DOMINI
D. OLIVERII
BARONIS DE REYLOF
AD
LIVINUM MEYERUM.

ODE.

Sic est : ad tumulum cogimur indies
Livine, & celerem præcipitat gradum,
Quâ cuncti rapimur, dura necessitas.
Non, si nos atavis regibus editos
Inter conspicuæ fulgura gloriæ
Sors evexerit, aut Mars adamantino
Thoracem clypeo munierit, satis
Vitamus Libitinam. Omnibus, heu! semel
Calcanda est avidæ prona necis via.
Sic Divis placitum. Pars melior tamen
Nostri post cineres atque obitum manet,
Lethi nec didicit spicula perpeti.
Sunt multis etiam dona, quibus nequit
Mors inferre manus. Hos ciet ingenî
Dives copia se per liquidum aëra
Magnis regna super-tollere honoribus,
Stellarumque globos & faciem poli
Metiri radio, scire quid imbrium
Tempestas, trifidi quid sit edax furor
Teli, quod celeri Jupiter impetu
In subjecta vibrat; quo Rhodope, & Mimas,
Atlantisque tremit nubiferum caput,
Et percussa gemunt acroceraunia.

Causas

Causas mens aliis tendit in abditas.
Quod natura, homines ludere pertinax,
Telluris mediâ nocte recondidit
Audaces penetrant, regnaque Tethyos
Intentata priùs navibus, & sali
Æstus pervolitant mente reciprocos,
Vincentes studiis asperioribus
Chaldæos numeros ac Babylonios.
Te dulces latebræ, templaque Phocidos,
Parnassique vocant antra biverticis,
Musarumque chorus. Flumine Pegasus,
Et rivo liquidi nectaris imbuit
Te Meyere: quibus fontibus ebrius
Assurgis volucri celsior alite.
Seu te Calliope non paribus modis
Iram sollicitat vincere; seu ruis
Torrenti similis, qui rapidum jugis
Per prærupta soli & saxa sonantia
Cursum præcipitat, nec timidus sequi
Plenum nectareo flumine Pindarum,
Divinique chelym tangere Horatii:
Sive invitet opus nobile Virgilî
Augusta in trabea Cæsaris ad pedes
Te præcepta novo tradere Principi,
Queis olim imperii sceptra potentia,
Et famam patrii nominis impleat:
Seu sacræ Alsatium ad fulgura purpuræ
Evectum celebres. Hinc superest tibi
Immortalis honos: hinc tibi gloria,
Quam non invida mors, nec fuga temporis
Nostris eripiet sera nepotibus.
Dignum laude virum Musa vetat mori.
I facunde senex: sub nive candida
Quæsitam studiis sume superbiam.
Lauro si viridi Pierides comam
Cingant, atque tuum judice Apolline

Nomen Melpomene vatibus inſerat,
Haud impar meritis officium tuis
Divæ præſtiterint. O mihi ſi pares
Formatum ad numeros ingenium foret,
Æqualique potens ludere barbito!
Sublimi peterem ſidera vertice.

ODE II.

Ejuſdem ad eumdem.

ILla quæ clarum meditans Maronem,
Carmina umbroſo chelys in receſſu
Noſtra deduxit, meliora ſub te
Judice current.
Si probes verſus, facies ſonantes
Debiles chordas humileſque cantus:
Doctus immenſum timidis poëtis
Addere calcar.
Jam tibi canis nivibus ſenectus
Hinc & hinc raros operit capillos,
Et duplex vitrum juvat imminuti
Luminis uſum.
Integer mentis tamen uſque toto
Priſtinum ſpiras animo calorem,
Dum bis octavum meditatur ætas
Claudere luſtrum.
Vatis Andini celebras cothurnos?
Illius verſus referunt nitorem,
Nec minùs cælum petis invidendis
Niſibus audax.
Me per excultos mea Muſa verſus
Non eo fructu ſtudioſa duxit.
Iſta conantem vetat ad ſupremum
Tendere culmen.

Dum

Dum ſuam cantat Lalagen Horati
Omnibus curis amor expeditus,
Victor auritas facit ire quercus
Monte ſolutas.
Vere dum primo ſonat inter altas
Muſa Livini numeroſa ſilvas,
Audiunt illam volucres, ſtupentque
Dulce canentem.
Non magis paſſer tener eſt Catulli
Lesbiæ nixus digito puellæ,
Non magis culto Nemeſim celebrat
Ore Tibullus.
Magna Naſoni monumenta famæ
Non ſatis tuti peperêre amores,
Et, quibus ſurdas, gemitus, fatigat
Cæſaris aures.
Tu tibi doctis elegis perenne
Comparas nomen, pariter legendus
Donec admittet bona cenſor æqui
Carmina Phœbus.
Ceteris diſpar, tua quod pudicos
Inſtruit mores, neque Muſa caſtos
Inquinat fontes, & ubique miſcet
Utile dulci.
Phyllidis tædæ macerent juventam
Dum procos blando fovet ore fallax:
Læſa Briſeis lacrymis vagantem
Poſcat Achillem.
Phœdra ſit molli metuenda flammâ,
Quæ furit circa jecur ulceroſum:
Hero Leandri petat à remoto
Oſcula ponto.
Quæ trahunt ſontes animas ad Orcum,
Tu domas certis monitis, & Iræ
Temperas æſtum dominante freno
Providus ultor.

Hæc tuis olim cecidit ſagittis,
Quas vibras tenſo metuendus arcu,
Jamque diſparet citharæ potentis
Territa pulſu.
Sic cui centum caput efferatum
Muniunt angues, fidibus canoris
Orphei ceſſit tremefactus imæ
Janitor aulæ.
Pallidus vinci ſua regna Pluto
Senſit intortis Furias flagellis
Ire dejectas, metuiſſe totâ
Cum Styge manes,
Sceptra ne ſecum rapiens avarus
Raptor obſcuros populet penates,
Conjugis quando repetita ſurſum
Ora reducit.
Me tuo credam gremio receptum
Magna nanciſci, cui parva debent
Unda Permeſſi liquidique fontes,
Et juga Pindi.

J. G. KERCKHERDERE IN MEYERI INSTITUTIONEM PRINCIPIS EPIGRAMMA.

CÆcus Odiſſeiam cecinit jam debilis ævo,
Dum minus alta tonans, nec ſat Homerus erat.
Tu primâ, Meyere, fuiſti ætate Tibullus:
Cycneiſne comis incipis eſſe Maro?
Fabula jam vera eſt: longo qui tempore Muſas
Fugerat, en ſenior jam canit albus olor.
Carmine carnifices fregiſti junior iras:
Nunc ſcelerum, vindex, proteris omne genus.
Occidit, heu! lecturus erat qui carmina Princeps.
O veniat tantum qui legat alter opus!

ODE PRÆVIA

AD REVERENDUM ADMODUM PATREM NOSTRUM

MICHAELEM ANGELUM TAMBURINUM

PRÆPOSITUM GENERALEM SOCIETATIS JESU.

NUnc Diva vati Calliope fave,
Tuque ô merentes carmine qui viros
Apollo ſubducis ſilentis
Imperio tenebriſque mortis.
Donare vitam tu fidibus novam,
Obliviosæ victor inertiæ
Gaudes, & heroum perenni
Nomen amas celebrare cantu.
Siquando, ſacrâ nunc opus eſt lyrâ,
Totoque Phœbo : dicere dum mei
Famamque, virtutemque Patris
Aggredior, meritaſque laudes.
Tu qui cohortis militiam regis
Loiolianæ, ſummus & arbiter
Sparſos per Europen & Indos
Imperio moderaris æquo
Jeſu ſodales : me ſine Michaël,
(Quando ampla vati materies datur)
Munus quod exerces ſupremum, &
Angelicas memorare dotes.
Olim magiſtrum diſcipulis ſchola
Te ſacra vidit pandere dogmata;
Quo nullus ambages reſolvit
Ingenio magis expedito.

 Non

Non te latebat quidquid in abdito
Scriptura ſenſu ſancta recondidit.
Eſtenſis hinc te Cardinalis
Theiologum ſibi legit unum.
Mox celſiori conſpicuus gradu,
Provincialis lenis, & efficax,
Amabili ſemper rigore
Imperium bene temperaſti.
Dein * Thyrſus aptum jure Vicarium
Toti regendo ſubſtituit gregi,
Quem ferre tot duros labores
Deficiens prohibebat ætas.
Quo morte rapto; protinus omnium
Votis ad unum reſpicientibus,
Patrumque conſpirante cœtu,
Eligeris, ſine lite, Præſes.
Te quippe tanto nullus in agmine
Inventus iſto munere dignior,
Ipſo Senatu purpurato
Concilioque probante Divûm.
Atqui ſciebant quantum humeris onus,
Quantiſque molem caſibus arduam,
Ni te levaret nota virtus,
Tempore difficili ſubires.
Mars dum potentûm pectora Principum
Pacis reſciſſo fœdere dividit;
Vulgus ſuorum jura Regum
Proſequitur, rapiturque diſcors.
At non tuorum pectora, partium
Turbavit ardor. Turbinis inſcii
Stetêre concordes, amico
Te te animos ſociante nexu.
Dixiſſe crebrò te memorant tuis:
Sacratiorem militiam Deo

Juraſſe

* *Thyrſo Gonzales Præpoſito Generali Societatis Jeſu ætate & laboribus fracto, ſtatutus eſt Vicarius Generalis.*

Juraſſe læti, cur moremur
Mittere res hominum caducas?
Tot nationes ſint licet indole,
Cultuque, linguâque, & patrio ſolo,
Stelliſque diſtantes, nec omnes
Ingenitus ferat unus ardor:
Quid tum? una cunctos patria nos manet
Cæleſtis. Illuc tendite fervidi,
Certentque cum Gallis Iberi
Quis prior hanc potiorque miles
Expugnet arcem: quiſve potentior,
Victis tyranni Tartarei minis,
Tellure contemptâ per altos
Regna polos meliora captet.
Eſt barbararum copia gentium
Ignara veri Numinis, ultimis
Repoſta terris, quas rubenti
Sol oriens abienſque curru
Luſtrat jacentes; ſed tenebræ graves
Cæcutientûm pectora detinent
Affixa falſorum deorum
Cultibus, & Veneri nefandæ.
Ite ite quò vos impietas vocat
Delenda: ritus tollite barbaros,
Menteſque cæcâ nocte preſſas
Ad fidei revocate lumen.
Hæc una ſanctis fixa laboribus
Sit meta. Curâ diſpare gaudeant
Quicumque fidum bellicoſis
Regibus obſequium dicarunt.
Sic filiorum corda potentibus
Impulſa dictis exſtimulas Pater,
Et vocis exemplique luce
Non pateris proavûm nepotes
Cælo probandis cedere moribus.
Quin uſque per te Relligio ſtetit

Expers

Expers reformandæ ſenectæ, &
Flore vigens animata primo.
Quæ te piorum cura ſodalium
Servire ſanctis fecit honoribus,
Quos vidit hinc migrare virtus
Et fugiens ſine labe vita?
Motus paterna ſollicitudine
Mox par tuorum nobile Pontifex,
Koſtkamque Gonzagamque Divûm
Addidit ordinibus colendos.
Tu luſtra, raro munere Cælitûm,
Quamvis bis octo jam numeres ſenex,
Totoſque viginti per annos
Præpoſitus ſocios gubernes:
Privata quævis commoda negligis
In te ſeverus : nam neque parcior
Quiſquam ciborum vel ſoporis,
Quo reliquis breviore gaudes.
Vultu ſereno ſemper amabilis,
Leniſque cunctis : ſemper & arduos,
Obſtante nequidquam ſenectâ,
Impiger aggrederis labores.
Oſor quietis, ſingula perſpicax
Luſtrare per te ſuetus, & omnium
Provinciarum res ſagaci
Unus agis, dirimiſque curâ.
O tota quantum progenies ſuo
Debet parenti! ſcilicet omnibus
Prodeſſe gaudes, nec remotos
Deſtituis procul orbe Belgas.
Belgæ periſſent turbine Martio,
Furente navis preſſa velut Noto,
Cum ſæva tempeſtas carinam
Verberat, & tabulis ruinam
Minatur, alto naufragium mari
Sparſura; ſi non æquoris arbiter
Neptu-

Neptunus iratas amico
Numine comprimeret procellas.
Ille ut fugatis æthere nubibus
Solem reduxit; lætitiâ fremunt
Nautæ, coronatâque puppi
Incolumes ſubiêre portum.
Sic noſtra te Provincia Præſide,
Quaſſata longi fluctibus aſperis
Belli, reviviſcens ſerenos
Ire dies recreata gaudet.
Quæ jure grates ſolvere debitas
Non ceſſat, omni ſollicitans ope
Divos, ut albentis ſenectæ
Canities tibi prorogetur
Plures in annos : dum rutilantibus
Formoſa ſtellis te ſuperûm domus
Tellure migrantem receptet
Ordinibus ſocium beatis.



APPROBATIO CENSORIS.

QUod Lipsienses, viri sanè doctissimi, qui eruditorum opera & censent & compendio referunt, de tribus Libris DE IRA judicium pridem protulerunt, quod videlicet *ad veterum Poëtarum elegantiam, perspicuitatemque adspirent; si non & aliquos in his rebus superent* : id jure meritissimo de novem reliquis Libris, quos LIVINUS MEYERUS, Vir in Theologica non minùs palæstra quàm in Poëtica arte excultissimus, conscripsit, censebunt omnes, qui vel tantillum de Heliconio fonte biberunt. Etenim hoc ipsi singulare est, quòd ubique misceat utile dulci, nec minùs Lectores ad morum honestatem incitet, quàm cantando delectet. Ita censeo. Lovanii Kalendis Augusti 1727.

HERMANNUS DAMEN
Sacræ Theologiæ in Universitate Lovaniensi Doctor Regens, Decanus sancti Petri Lovanii, & Privilegiorum præfatæ Universitatis Conservator, nec non Librorum Censor.

FACULTAS

R. P. Præpositi Provincialis Societatis Jesu.

EGo infrascriptus Præpositus Provincialis Societatis JESU in Provincia Flandro-Belgica, potestate ad id mihi factâ ab admodum R. P. N. Præposito Generali Michaële Angelo Tamburino, Facultatem concedo, ut P. LIVINI DE MEYER Societatis nostræ Sacerdotis Poëmatum Libri duodecim, eruditorum ex eadem Societate nostra virorum judicio probati, per *Eugenium Henricum Fricx* hâc vice typis excudantur. In cujus rei fidem Literas manu mea subscriptas & Sigillo officii mei munitas dedi Antverpiæ 28. Augusti, anno 1727.

PETRUS MAELCAMP.




LIVINI MEYERI
E' SOCIETATE JESU
LYRICORUM LIBER UNUS.

ODE I.
AD PERILLUSTREM VIRUM OLIVERIUM BARONEM DE REYLOF, MÆCENATEM.

Ne tenues Musas meas supra meritum efferat.


Uid me immerentem cœtibus inseris
Amice vatum? cui neque Gratiæ
Risêre nascenti, nec ora
Fonte sacro tetigêre Musæ.
Non nubibus me Pegasus arduis
Tollit jacentem. Serpere sit satis
Tellure, mirarique longè
Pindaricos per inane nisus.
Vis sacra Phœbi quem rapit, audeat
Tentare pennis sidera. Me juvat
Inter myricas impolito
Fessum animum relevare cantu.



Audax, & impar viribus impetus
Altè volantem perdidit Icarum.
Me terret excuſſus paternis
Igne Jovis Phaëton quadrigis.
Infirmitatis qui memor eſt ſuæ,
Tutum modeſto carpit iter pede,
Vitatque nigrantes procellas,
Nec trifidi pavet ignis ictum
Securus alti fulminis. Hoſpitem
Me ſi virenti villa ſub ilice
Condat latentem; ſat beatus.
Non ſuperos meliora poſco.
Tu noſtra cautus deſine carmina
Laudare. Nudum me ſine lividos
Sentire morſus, & novorum
Grande ſupercilium Catonum.
Placere paucis eſt hodie datum.
Sic Phœbus, & te Pierides ament,
Curare contemnat profani
Judicium tua Muſa vulgi.
Vis inſolentis cæca licentiæ
Audet Maronem carpere : nec meis,
Tuiſque Mæcenas Camœnis
Dente nigro, mihi crede, parcet.
Jungamus arcto fœdere dexteras,
Nos ne moretur livor inertium,
Quin uſque tranquilli petamus
Otia, deliciaſque Pindi.
Gratemur & ſi quis melioribus
Nos antecellat carminibus : neque
Inſanientis more turbæ
Invidiæ rapiamur æſtu,
Doctis parati cedere lauream.
At ſi imperitus nos agitet canis,
Spernamus inſultus inermes,
Ut catulos ſonipes minores.

ODE II.

AD SCELERATOS,

Quod justas pœnas effugere diu non possint.

QUisquis effreni nimium juventâ
Fisus, æterni imperium tonantis
Spernis insultans, & inane credis
Tartara nomen:
Aureas semper fuge suspicari
Ponè venturas sine nube luces.
Nîl diu lætum meditatur annus,
Et brevis ætas.
Ociùs fastum premet insolentem
Sæva vis morbi, scelerumque vindex.
Heu! moras nescit (mihi crede) lentas
Ira Deorum.
Fulmen occulto jaculantis ictu
Senties dextram. Fugient retrorsum
Candidi soles, nec amica quondam
Tempora veris
Floridas umquam referent quadrigas.
Asperæ morsu jecur ulcerosum
Different curæ, Furiæque nexis
Angue capillis.
Non tibi cordis pavidi tumultum
Molliet Bacchi liquor, aut Cupido,
Quæque olorinis Dea findit udum
Æthera pennis.
Nîl opis luxus, nihil (heu!) Juventas
Flore succinctos religata crines,
Nîl feret cantus choreæque, seræ
Noctis amantes.

Sive nigrantes fugias ad Indos,
Seu reus terras penetres ſub imas,
Pœna veloci pavidum ſequetur
Ocior Euro.
Vidimus ſævos trepidare Reges
Fata, ſuſpectique dolos veneni.
Trinacris teſtis, Siculæque menſæ
Pallidus hoſpes.
Ore jejuno poſitas Tyrannus
Horruit fraudes, licet inquietum
Cingeret miles latus, & timendus
Enſe ſatelles.
Ipſa mens culpæ memor, æſtuanti
Volvitur motu, rapiturque diſcors
More bacchantûm : nec amara portant
Somnia pacem.
Non ſcelus vitæ ſatis expiabit
Pœna præſentis. Levis illa mors eſt
Quæ ſemel ſolvet ſanie fluentes
Corporis artus.
Finis expertes feret hora luctus
Ultima. Hinc raptos lacerabit olim
Pœna Cocyti, triplicique rictu
Cerberus ultor.
Vultur æternis Tityum cruentat
Unguibus, lentuſque trahit renaſcens
Vulnere ex ipſo jecur, & voraci
Ilia roſtro.
Fertur Ixion celeri rotatu,
Siſyphus ſaxum grave ſemper urget,
Tantalum vexat ſitis, imminentis
Et fuga pomi.
Manibus non eſt requies ſceleſtis.
Tu brevis vitæ memor & fugacis
Temporis, cujus mora non retardat
Ulla volatum,

Corrige insanos animi tumultus,
Vindicem culpæ metuens severum:
Dumque fas, longas venientis ævi
Effuge pœnas.

ODE III.

AD ADOLESCENTES

Poëticæ artis amantes, ut à libidine avocentur.

TUrpibus intactos conservet amoribus annos
Nullâque pulsus ferveat libidine,
Ingenio vivax si quis puer artibus olim
Polire mentem carminum decentium
Cogitat, & sacras penetrare ad Apollinis arces:
Ubi rigat antra semper uda Pegasus,
Et sua virgineæ contendunt plectra sorores,
Nervisque colles obstrepunt loquacibus.
Crede mihi, castos amat hic Deus: & benè Cypron
Pindumque vasto separavit æquore.
Arduus & nubes parnassus despicit, audax
Puer volatu ne minetur assequi,
Qui malè cœlestes invadere creditur arces;
Terrena lætus subjugare corpora.
Ut scelus exemplis mollirent turpe Deorum,
Finxêre Divos (heu nefas!) adulteros.
Non auro puduit, non Cycni condere pennis
Jovem, relictis Cœlitûm cubilibus.
Ista fuit veterum probrosa licentia: quorum
Commenta constat non probasse Delium.
Postera ne veteres imitentur sæcla Poëtas,
Musæ nepotes admonere me jubent.
Eia agite, æthereo de semine nata juventus,
Libidinosâ peste corda solvite.
Inquinat hæc animum, & tetrâ caligine mentem

Fuſcat : lutoſis ut vaporibus palus
Litoreis atros aſpirat floribus ignes ,
Quos luce Titan ſuſcitaverat ſuâ.
Vincula ſolvamus Veneris ſervilia. Dextro
Pindum occupare quid moramur alite ?
Quò Deus , & melior mentis vocat ardor honeſtæ,
Stimuliſque Virtus incitat potentibus.
Nectar ubi caſiamque pio guſtabimus ore,
Et Gratiarum conſidebimus choro :
Pluraque ſublimes mirabimur ; ut neque triſtem
Frondoſa brumam ſentiant cacumina :
Canities viridem excipiat nequè pigra juventam,
Nulliſque morbus torqueat moleſtiis.
Sed florentia prata, ſed unum & perpetuum ver,
Et temperatis aura ſtat caloribus.
Non hùc erecto conſurgit vertice vulgus,
Nec ſordidus Cupido contulit pedem.
Hic Paphon atq; Cnidon colit , atq; infamia crebris
Acuta tempeſtatibus ceraunia.
Nos ſuper hæc niveis tollentes corpora pennis
Quietiore perfruemur æthere,
Cultaque, venturis nec deficientia ſæclis,
Scribemus œſtro concitante carmina.

ODE IV.

IN OBITU SERENISSIMI PRINCIPIS BAVARIÆ,

Ex Matre Auſtriaca, omnium luctu Bruxellæ immatura morte ſublati.

BRuxella queſtu quid lacrymabili
Cælum fatigas? deſine Principis
Sperare dilecti ſalutem , &
Sera piis dare thura templis.

Nîl vota, nîl ſuſpiria ferreas
Movere leges. Occidit, occidit
Flos patris, & ſpes ampliandæ
Magna domûs, Bavaræque ſtirpis.
O! quæ paternos barbitos exprimet
Cantu dolores? Indigetes Dei
Faunique, ſilveſtreſque Nymphæ
Dicite, quos gemitus remotis
Audiſtis antris? ut miſerabili
Exceſſit aulâ, & per juga montium
Heu! perque brumales pruinas
Saxa feris habitata viſit.
Ceu quondam amatam Perſephonem Ceres
Clamavit altis ſaucia rupibus;
Fruſtràque devovit rapaces
Ditis equos volucremque currum:
Prædam ille velox non revocabilem
Fuſcis ſtupentem ſedibus intulit:
Sic ille formoſus paternos
Deſtituit fugiens amores
Immitis Orci victima flebilis.
Nequidquam amaris pectoris æſtibus,
Luctuque ſingultuque patris
Sonniacæ ſonuêre ſilvæ.
Non purpurarum ſidere lenies
Inſcripta duris fata adamantibus,
Aurove flectes obſtinatas
Eumenides, rigidaſque Parcas.
Mors ſæpè buſtis è popularibus
Infert ſuperbis arida poſtibus
Greſſum, triumphatoſque Reges
Pauperibus ſociat colonis,
Ignara cuiquam parcere; Tænari
Condenſat atris limina manibus,
Imoſque & inſignes metendo
Sceptra ſuper volat & coronas.

Hanc fax, & ignes, & ſopor ultimus,
Noxque una cunctis irremeabilis,
Diræque circumſtant cupreſſi,
Et lacrymæ miſerorum inanes.
Ille ô beatus! qui rutilantibus
Adſcriptus aſtris, atria Principum
Luſtrat ſupernorum, & ſepulcrum
Parte ſui meliore vitat.
Joſephe quò te ſimplicitas tulit,
Et vita nullo noxia crimine:
Sceptra unde, tellurem que ſpernis,
Imperii potioris heres.

ODE V.

AD JACOBUM WALLIUM

E SOCIETATE JESU,

Quod in quadam Elegia eum Senem vocaſſem

PALINODIA.

ADſis ruſtica Muſa, & inficeta,
Digna collibus exulare ſacris!
Verſus neſcio quos ſtupente venâ
Dictaſti miſero malos Poëtæ.
Adſis nunc melior: tuoque vati,
Illi, quem veteres ſtupere poſſent,
Plectro carmina juſtiore canta.
Hujus carpere non quidem libellos
(Doctos Jupiter! & ſacros libellos!)
Auſa es tu: (quis enim hoc ineptus auſit?)
Illum ſed vetulum auſa nuncupare,
Et perſtringere corporis ſenectam.
O factum malè! Crimen hoc piandum.
Atqui non tacito hoc rubore ſenſit:

Quam-

Quamquam diſſimulavit, & faceto
Abſterſit ſale Wallius Poëta.
Non hâc ſe querulum arte comprobavit,
Immitem, tetricum, vel invenuſtum;
Sed blandum, facilemque, candidumque,
Cui rident Charites, Lubentiæque,
Cui ridet Lepor ipſe, Comitaſque,
Et nudo pede Gratiæ volantes;
Talem denique, quem ſenem negare
Vel Flaccus, Satyrâ approbante, poſſit.
    Iſtis hic meritò laceſſit aures,
Iſtos vellicat impetitque morſu,
Vicinos ſubitò ferire ſuetos,
Qui norunt tremulo inſequi bacillo,
Et totas malè murmurare luces.
Iſtos jure putat ſenes vocari
Iratos, querulos, graves, ſeveros,
Exoſos reliquis, ſibi moleſtos,
Priſci temporis optimos patronos,
Præconeſque juventulæ peractæ.
Qui nîl parcere vindices fuërunt,
Læſi vel digiti impetentis ictu.
Et ne perſequar omnia, explicemque,
Iſtud queis animo ratum atque fixum eſt,
Collaudare nihil, nihil probare:
Omnes negligere, & putare parvi,
Ceu fungoſve, meraſve noctilucas.
Hos horrent pueri & puellulæ omnes,
Horum & funera ſervuli precantur
Primo Lucifero, Heſperoque ſero.
    Auſus, Muſa, tuos inepta cernis?
Ni te pœniteat, tuumque crimen
Et linguæ vitium procacioris,
Et nigrâ pice nigriora verba,
Novo corrigis expedita cantu:
Tum Phœbus tibi Pegaſuſque vindex,

Et quidquid juvenum est ubique vatum,
Et quos Elysiâ recepit umbrâ
Judex Æacus, arbiterque cymbæ,
Offensi mala multa comprecentur,
Et cogant meritas subire pœnas,
Et toto procul exulare Pindo,
Atque exesse jugo, velut profanam.
Audimur : tremulam impulit fenestram,
Supplex atque oculo fatente culpam.
Mox & versiculos venustiores,
Hos paucos calamo tremente scripsit :
Imprudens Dea Wallium precatur
Errati veniam, malæque linguæ,
Senem dicere quæ sit ausa vatem,
Omnes qui juvenes virore vincit,
Omnes qui superat canore vates.

ODE VI.

AD AMICUM POETAM,

Artem Poëticam Mæcenatibus foveri.

VAtes dum canit Ilion,
Et captiva senis mœnia Dardani :
Cæsar Virgilio tubam
Deprompsisse suis ipse penatibus
Fertur, Chrysolithis gravem.
Hâc vates cecinit, quod vagus ultimis
Audivit Boreas plagis,
Audivit roseis manè cubilibus
Titan, & Zephyri domus.
Non hæc Pegaseis gloria fontibus
Vênit, non Heliconiis
Derivata jugis. (vera fatentibus
Pindi Numina parcite)

Mæ-

Mæcenas Latiis carmina vatibus
Inſpiravit, & ingeni
Fœcundavit opes. Scilicet aureis
Phœbo fama potentiùs
Inſtigat ſtimulis, atque ederæ levant
Circùm tempora nexiles,
Et manſura ſuper gloria poſteris.
Teſtis Gallia, quam beat,
Et ſpectata bonis inſtruit artibus
Regis munificentia.
Hortorum hic ſpeciem, & veris amabiles,
Flores, delicias canit:
Hic belli ſtrepitus, & Batavos lacus,
Captivis Aquilonibus,
Gallorum faciles imperium pati,
Rhenus quod ſtupuit pater.
Hic dulces elegos: hic veterum ſales
Mordaci ſatyrâ implicat.
Nec te prætercam culta Neapolis,
Neptunum & virides Deas
Aptam Mæonio dicere carmine,
Prædamque ad cava litora
Incluſam madidis vertere retibus,
Dux quam Cardenides probet.
Heu! quondam cytharæ Belgiacæ decor!
Quô te turpe ſilentium
Facundam tacito condidit angulo?
Cur mentem, ô ſocii, vigor
Segnem deſeruit? cur calami ſtupent,
Sacri venaque pectoris,
Et turpi ſtudium ceſſit inertiæ?
Num nos de ſterili luto,
Cœleſtis vacuos mentis, & ignium,
Divûm compoſuit manus?
Non hoc credere fas: ſed magis impius
Mavors abſtulit otia,

Et

Et fortuna bonorum indiga cenſuum
Muſis præſidium negat.
At ſi verſa, malas ſors variet vices,
Saturni referens dies :
Tum tu Liſa pater, parvaque Tungria,
Quondam Sidronii domus,
Et ſedes ſocii candida Wallii,
Oris clarior Atticis
Rurſus multiplici vate ſuperbies.

ODE VII.

HORATII

Principis Lyricorum laudes.

FLacce lyrâ cantuque potens hærentia vivis
Movere ſaxa rupibus,
Threïciumque nemus
Carmine nativis traducere montibus, ut qui
Acheronta rupit Orpheus;
Thracia quem Rhodope
Olim admirata eſt animos mollire ferarum.
Tu Pindaro potentior,
Carmen ad Auſonios
Deducis numeros variâ teſtudine vates :
Ut nuper ales Daulias
Cædem Ityli memorans,
Omnia Dædaleo diſcrimina gutture vocum
Princeps recenſet alitum :
Sic lyra pulſa manu
Nîl humile aut enerve ſonat; ſublimis & audax
Vexare cantu ſidera.
Sive agitas vitium
Cenſor, & errantis mordes commiſſa juventæ,
Morum peritus arbiter :
Aurea ſive canis

Obſervanda ſacris quondam præcepta Poëtis,
Non poſteris exactius
Græcia liquit opus:
Aut Mæcenati ſi comis epiſtola fertur
Legenda, vel Neronibus:
Omnia plena Deo,
Gratiaq́; utilitaſq́; comeſq́; ambobus honeſtum,
Decorque qui vulgum latet,
Sideriuſque furor,
Singula divini ſunt ornamenta Poëtæ,
Cui Roma vix tulit parem,
Sæcula nulla ferent.

ODE VIII.

IN PODAGRAM.

Ejus dolores acutiſſimos ac incurabiles eſſe.

QUæ dira peſtis oſſa corrodit mea?
Quæ miſſa Cocyto lues
Acrem & tenaci glutine adſtrictum intimis
Nervis furorem dividit?
Expreſſa num quis viperis mordacibus
Venena porrexit mihi?
Potenſve ſaga toxicum nocentius
Noſtro cruore miſcuit?
Non ſi caminis corpus Ætnæis ſonet,
Et monte Cyclopum premar,
Bituminoſis aut adurar ignibus
Edace mixtis ſulphure,
Serpens medullis penitùs exeſis malum
Inæſtuet ferventiùs.
Noctem, & papaver vincit inſomnis dolor:
Nec molle pulvinar juvat.
Quin & tumorem ſiderum allapſus gravat,

Et

Et horridum ſilentium.
Ferocientes interim morſus lues,
Iramque & arma duplicat.
Dein mille velox, more Parthorum, vibrat
(Heu fulminis vim!) ſpicula.
Quod ſi minutis pallium contactibus
Vel extimam radat cutem,
Quis credat? & virilis ejulatio
Clamore tormentum levat.
Nullumque tantis luctibus ſolatium
Adfert amicorum cohors,
Præter jocos riſuſque languenti graves.
Nîl & Machaon adjuvat,
Faſtidioſis inclytus liquoribus
Lenire morbos ceteros.
O! quis podagram mitis afflictis Deus
Ad ima vertat Tartara!
Tormenta quid diverſa vates fingitis?
Cur Siſyphum vexat lapis,
Fugaxque ramus Tantalum? Pœna omnibus
Hæc una ſit nocentibus.

ODE IX.

AD SUPEROS

Pro pace.

JAm ſatis terrâ pelagoque fuſum
Sanguinis, ſat pugnæ. Inhonora quærunt,
Sparſa quæ totis jacuêre campis,
Oſſa ſepulcrum.
Mitiùs noſtris propiùſque rebus
Numen aſpira. Tibi pœnitentes
Tendimus dextras, veniamque culpis
Ritè precamur.

Sive

Sive te vulgi furor insolentis
Læsit, aut sanctas violavit aras
Ore pollutus, neque thura dignus
Ferre Sacerdos:
Sive contemptâ face nuptiali
Improbus sedit thalamis adulter:
Sive perjuræ nocuêre linguæ, &
Alea pernox:
Tu bonus nostris facilisque partem
Tolle commissis : neque fulminanti
Perge tellurem, mala multa passam,
Perdere dextrâ.
Audiit nostræ sonitum ruinæ
Africæ custos Capricornus oræ:
Audiit longè pelago renascens
Phœbus ab Indo.
Vos, quibus supplex famulatur Orbis,
Fervidos lenite Dei tumultus
Principum : jungatque manus Britanno
Gallus amicas.
Hactenùs Martem coluisse fas sit.
Si quid irarum remanebit ultrà,
Differant mites meliore pennâ
Per freta venti.
Virginum mores senibus probandos
Alma pax terris feret, & jugali
Lege contentos religabit arcto
Jure parentes.
Pace Saturni remeabit ætas:
Pace fœcundis peraranda sulcis
Aureas messes meditatur, odit-
que otia tellus.
Hinc fames, hinc frugis inops egestas,
Febrium hinc nigræ fugient cohortes,
Et venenatis Erebi colubris
Turgida pestis.

Urbi.

Urbibus flammâ tonitruque aheno
Dirutis, dextrâ faber expeditâ
Deſtinat priſcum decus, & ſonoros
Mulciber ictus.
Marte depulſo, renovatus Orbis
Surget oblitis melior ruinis:
Aridam ut pellem poſitura acuto
Vipera ſaxo
Lætior ſquamâ nitet, & virenti
Accipit ſoles maculoſa tergo.
O! quis in torvos inimica Parthos
Bella releget!

ODE X.

PACEM BELGIO, POST EXUSTAM BRUXELLAM

Captumque à confœderatis Namurcum, reſtitutam gratulatur.

OPtata terris ſidera Belgicis
Luxêre. Triſtes hinc querimoniæ,
Bellique diſcedant tumultus:
Nunc ſuperis dare thura tempus:
Nunc & ſonoro dicere carmine
Firmata pacis fœdera. Da puer,
Da plectra, vocaliſque lætos
Barbitos expediat triumphos.
Tandem Britanno milite ſolvimur,
Galloque, Danoque, & Batavus fretum
Natale, piſcoſaſque ripas
Retis amans tetigiſſe gaudet.
Pugnata multis prælia meſſibus
Contaminârunt ſanguine Belgium,
Aræque divorum peruſtæ, &
Verſa ſolo jacuêre templa.

Bruxella teſtis tota furentibus
Abſumpta flammis, dum volitant ſuper
Maſſæque prægnantis metalli
Æthere præcipitant ab alto.
At non tot atris fulminibus minax
Vis dira belli pectora civium
Dejecit, audentemve retro
Vertere iter Bavarum coëgit
Majora ſuetum ferre pericula.
Inter ruinas impavidus ſtetit,
Globoſque tormentorum, & acrem
Egit equum medios per ignes:
Privata lætus ſpernere vulnera,
Liber catenis dum Moſa Gallicis,
Arceſque, perruptæque rupes
Ad dominum redeant priorem.
Vis fœderatâ quid valeat manu
Hinc ſenſit hoſtis: res ubi ſerias
Urgere pugnaces laborant,
Conſiliis animiſque juncti.
Lux una clades tot miſerabiles
Lenivit. ô qui jungitis agmina
Arctoa Belgarum maniplis,
Cur toties inimica veſtris
Illuſit armis Gallia? quas moras
Incuſem inertes? quæve piacula?
Cur clade non unâ minaci
Gallus eques metuendus enſe
Veſtras cohortes contudit impiger?
Dicamne vobis ad fera prælia
Pallêre vultus, imminentem
Et pavidos metuiſſe mortem?
Abſit. Quid ergo militiæ obſtitit
Confœderatæ, quo minus hoſtium
Deleret alas, & decoro
Lilia dejiceret triumpho?

Bellona præſens quæ regit agmina,
Belliqque caſus ancipites videt,
Reſpondit : Inter præliantes
Ferro acies dubiamque ſortem
Quæ cauſa Gallo profuerit, loquar.
Nempe ille voci promptior obſequi
Ductoris, uniuſque velox
Imperiis equitare miles
Quocumque belli provocat impetus :
Sive explicatis ordinibus pedes
Staret juventus : ſive rupti
Sulphure diſſiluêre muri.
Vos ſæpe lentum perdidit otium,
Vos cura diſcors, ſignaque ſeriùs
Collata, diviſumque multis
Imperium, arbitriumque pugnæ.
Nativus illum pro lare proprio
Incendit ardor. Quiſnam amor exteras
Pro patria everſiſque Belgis
Exſtimulet, rapiatque gentes ?
Quæ cura martis ? quæve neceſſitas ?
Privata quivis (crede mihi) bona
Urgente metitur periclo, &
Temperat utilitas decorum.
Quid exterorum copia militum,
Quondamque veſtris fœdera dexteris
Commiſſa, venaleſque turmæ,
Et pedites Aquilone miſſi
Proſunt ? inertes languor & otium
Si condit enſes ? ſi patriam procul
Reſpectat, & molles anhelus
Concubitus thalamoſque miles ?
Mercata virtus vitat acinaces
Secura laudis : ludere promptior
Incluſa murorum receſſu,
Marte procul calidaque pugna.

Non

Non milite illo Gallus in ultimos
Ivit Batâvos, cornua dum ferox
Demiſit exſternata Rhenus,
Et gelidi tremuiſtis axes.
Sed bellicoſis orta parentibus
Nervoſa pubes, docta ſitim pati,
Soleſque, duratamque nimbis
Canitiem, minimoſque ſomnos,
Perrupit acri mœnia milite,
Et ſtagna longis uda natatibus
Vicit, triumphatumque turpi
Implicuit Boream catena.
Hæc diva dicens, ex oculis procul
Seceſſit. At me corripuit timor
Tutumne ſermones referre
Sit ſuperum, licitumque vati.
Non Martis ignem, non ego priſtinas
Clades, ſed icti gaudia fœderis
Cantare decrevi, gravemque
Ex animis removere luctum.
Quo Muſa tendis? deſine vulnera
Vexare tactu, & vindicibus deis
Dicare feſtina tropæum,
Pace data, poſitoque ferro.

ODE XI.

AD IRACUNDOS,

Pacem privatis amicorum diſſidiis temerandam non eſſe.

NOn ſic Turnus in hoſpitem
Exarſit Phrygium, Troïca finibus
Portantem Latiis ſacra:
Non ſic cornibus audax adamantinis
Taurus Theſſaliæ Ducem

Afflavit magicis Colchicus ignibus :
Non ſic Hector, & efficax
Pugnavit Pyrrhi pro ratibus pater,
Anni quod gemerent decem :
Ut vos immemores in ſcelus impulit
Linguæ cæca loquacitas,
Oblitoſque Deum. Jungite dexteras :
Ne Phœbus mala craſtinus
Spectet, præteritus quæ tulerit dies.
O ! mites Zephyri precor,
Trans Alpes gelidas, litoraque ultima,
Et ſolis roſeam domum,
Ferte hinc ſanguineis nata furoribus
Mentis jurgia non bonæ.
Sic & juncta novis pectora amoribus
Æternâ coëant fide,
Ut vincant ſocii fœdera turturis :
Nec ſint juncta tenaciùs
Laſcivis ederæ brachia populis.
O ! felix amor arborum !
Quis vos edocuit nexilibus fidem
Servare implicitam comis,
Et binas animâ vivere mutuâ ?
An vos & volucer puer
Intactas pharetrâ noluit aureâ ?
Atqui jurgia livida
Abſunt. Nos homines, deterius genus,
Cæci fœdera frangimus,
Et lædi faciles arma repoſcimus,
Ut ſi Parthus, & inſolens
Dacus ſepoſitas diripiant opes,
Aut ictus pede Theſſalus
Anguis, cum glomerat corpora ſaucius.
Sic eſt : culpa nepotibus
Majorum luitur : nec ſinit impius
Fraternæque reus necis

Fra

Frater, nos vacuos vivere criminum.
Hinc diſcordia poſteros,
Infelixque odium, & ſemina pallidæ
Infecêre libidinis;
Poſtquam dividuis ara vetus pyris
Partitis ſtetit ignibus,
Maxillâque cruor fuſus, in atria
Scandit ſumma minax: grave
Exorans meritis ſupplicium reis.

ODE XII.

AD AMICUM

Hortantem ut carminum libellum quàm primùm luce donarem.

QUid me difficilis cenſor inertiæ
Damnas immeritum? Parce recentibus
Uvis, exigui quas mora temporis
Maturas tibi porriget.
Qui partu celeri naſcitur, & novem
Lucinam citiùs menſibus evocat:
Huic raros puero Luciferos dedit
Parcâ Perſephone manu.
Curas adde graves. Non ego Tuſculis
Vates deliciis ruſticus immoror:
Me nec villa tenet, fontibus & ſacrâ
Perlucens nemorum comâ.
Heu! Pallas ſtudio damnat, & artium
Divinarum adytis ſollicitum implicat.
Quem Phœbo tribuam, rariùs integer
Furtim ſurripitur dies.
Hæc te ſcire juvet: carmina ne putes
Fungorum in numerum creſcere noctibus.
Docti judicium quis timuit ſatis,
Et faſtidia ſæculi?

Pelignum, & gremio Mantua quem tulit,
Audax posteritas censet, & (ô nefas!)
Divini numeros carpit Horatii,
Quæsitura diu pares.
An, quæ præcipitem sors maneat, vides?
Quare desidiæ tu mihi dedecus
Objectare cave. Tempus inutili
Prudens non tribues moræ.

ODE XIII.

AD HUMBERTUM GUILIELMUM

A Precipiano, Illustrissimum Mechliniensium Archiepiscopum.

FOrtuna quæ te Belgiacis dedit
Humberte terris, optime Præsulum
Orbi colendorum, & sacrarum
Grande decus columenque rerum?
Te Fraus & Error, te caput artibus
Exculta vafris Impietas tremit:
Te Styx, & armatæ colubris
Eumenides, scelerumque pestes
Odêre. Monstris quippe pedem super
Urges, & Orci proteris agmina
Victor, tot excitis in unum
Hostibus, invidiâque major.
Frustrà Batâvis orta paludibus
Stridet minaci Vipera sibilo;
Rictuque mordacique linguâ
Bella movet, tumidâque caudâ:
Injurioso prompta volumine
Fuscare nomen, si potis est, tuum.
Sed Candor, & Virtus malignum
Spernit opus, tenebrasque vincit.

Sic luminum Princeps rutilantium
Sol, diſſipatis æthera nubibus
Serenat, & puros ab ortu
Jungit equos radiante curru.
Non te gerentem prælia pro fide
Ariſque divûm, turba potens premet
Adverſa, fallacique mendax
Ore pios imitata vultus.
Non hoſtium vis bruta latentium
Audax ſacrato illudere vertici,
Mitræque conceſſos honores
Sacrilego violare morſu,
Infringet alti pectoris impetum
Curamque recti. Teſtis Iberia,
Alpeſque, ſervatique Belgæ
Quid valeas, ubi marte ſacro
Burgunda virtus fulminat. Ociùs
Fugam rapaces præcipitant lupi:
Pratiſque gaudentes capellæ, &
Lanigeri recreantur agni.
Armenta ſaltus tuta perambulant,
Tenduntque ſummis ubera cruribus,
Dum ſidus inſani Leonis
Mobilibus nemus arcet umbris.
Te fontium imbres deficientibus
Ciente campis, pabula collibus
Herbæque ſuccreſcunt ſalubres,
Flore cavas variante valles.
Perge ô! tuorum juſta clientium
Fulcire ſanctis vota laboribus.
Dî te reſervârunt tuendis
Ritibus, Auſonioque juri.

ODE XIV.

AD NOBILEM AC REVERENDUM D.

Dominum Franciſcum Xaverium Martens, cum anno 1689. *ſacras Deo primitias ſolenni ritu offerret.*

FElix Triptolemi labor!
Qui glebis Cererem fertilibus dedit
Poſt faſtidia glandium.
Hinc fœcunda dapes ambroſias tulit
Converſa in melius Ceres,
Poſtquam (conſilio non ſine Numinis)
Sub velamine candidæ
Hoſpes non dubius ſe litat hoſtiæ
Terrarum pretium Deus.
At felix magis (ô) quiſquis in æthera
Jus, atque imperium obtinet:
Et Regum titulis ille beatior,
Qui linguæ arbitrio ſacræ
Numen de ſuperis ſedibus excitum
In terras potis infimas
Unius ſonitu flectere voculæ.
Non hoc Cæſaribus licet:
Quamvis Auſtriacâ nobilis in domo
Parthis jura fugacibus
Scribat, Sauromatas & licet ultimos
Victor ſervitio premat.
Hic Iſtrum imperio: tu Superos regis.
O! dignus patre filius!
O! dignus ſimili progenie pater!
Quando hic nec vetat inclytis
(Queis fulſit toties Conſul) honoribus
Æternùm vale dicere, &
Commutare ſacrâ divitias togâ,

Rerum non malus arbiter :
    Nec tu, cùm refugis quas tibi ferior
Maturabat opes dies,
    Cœleſtem dubitas militiam ſequi,
Virtus quò vocat ardua,
    Et pulcris Pietas incitat ignibus.
O Luxûs fuga nobilis!
    Et quâvis potior Martis adoreâ!
Quid non, quem Superi ſemel
    Aſperſêre ſui munere nectaris,
Caſtis audet amoribus ?
    At tu care tamen qùo properes, vide :
Heres nominis unice,
    Et ſtirpis columen non reparabilis.
Ah! ah! parce precor, precor,
    Incautis animum ſtringere vinculis.
Non ſpes perpetuæ domûs,
    Non longis ſeries fracta nepotibus,
Ridentiſque favor Deæ,
    Immites animos flectit, & aſperis
Cœptam conſiliis viam?
    Atqui ſors geminis blanda ſororiis
Ut dudum faveat, vides,
    Provectura novos in titulos genus.
Curas quin age cælibes
    Depone, & niveum ſollicitantibus
Velum pande favoniis.
    Fruſtrà eſt. Propoſiti non violabilis
In ſublime tenax ruis,
    Et depulſa mali tela Cupidinis
Scuto vertis aheneo :
    Audax & volucres ſpernere Cyprias,
Et riſum Veneris brevem.
    Quin & te ſtimulis non levibus pater,
Exemploque modeſtiæ,
    Et pulcris animi dotibus impulit

Par-

Parvi pendere noxias,
    Tellus quotquot habet, vel mare contegit
Cæco divitias ſinu,
    Et curis animum tollere lubricis.
Nec fratrum præeuntium
    Te virtutis amor, nec pietas latet.
Tu ſtirpis decus ultimum,
    Tu conſanguineis natus honoribus,
Fortunam pede nobili
    Calcas : tu ſuperis languidus ignibus,
Faſceſque, & maris Indici
    Gemmas, non ſtabili lumine ſplendidas,
Rides. Sed quis amabilis
    Aures lætitiæ perſtrepuit ſonus?
Quò vulgi ruit impetus
    Undantis? juvat ô! cernere lucidas
Feſtis luminibus faces,
    Araſque, & Tyrio murice nobiles
Pallas ſacrificantium.
    Audis? ut reſonent atria cantibus,
Cum dulci citharæ ſono,
    Ut longis fugiant thura vaporibus?
Quò me pompa vocat, ſequor.
    En ſacris humeros ſubdit amictibus,
Et Xavêrius aureâ
    (Ne deſideriis ſit mora longior)
Incedit paterâ gravis.
    Fratres officio non inamabili
Hinc, atque hinc ſociant latus.
    Portatur manibus victima candidis.
Præcurrunt faciles Deæ
    Spes, & cana Fides, raraque Caſtitas
Spargens lilia poſtibus.
    Illum, quà properat, Gratia & anxius
Retrò compoſuit Decor,
    Et gratis Pietas afflat odoribus.

Jam-

Jamque aram tenet, & piis
    Longè pulſa ſonant atria vocibus.
Ut cœlo litat hoſtiam,
    Mutatis fugiunt vina liquoribus,
Senſus quod neget arbiter,
    Vaneſcitque Ceres : certus inanibus
Sub ſpicis latitans Deus,
    Menti, non oculis, conſpicuus patet.
O felix! & amantibus
    Expectata dies! ô Amor aureis
Hùc allabere curribus,
    Arcumque & pharetram, non ſine vulnere, &
Tinctis nectare ſpiculis
    Adfer : jam liquidas flamma medullulas
Et præcordia vellicet.
    Jam jam, ceu violæ quæ modò languidum
Declinant radiis caput,
    Aut primis glacies ſaucia ſolibus
Rivis mobilibus fluit,
    Sic ô! ſic tenero vulnere languidus,
Longos inter anhelitus
    Suſpiret puero ſponſus in hoſpite.
Nec deſideriis modus,
    Nec finis lacrymis ſit, nec amoribus,
Donec jam fugiens dies
    Xavêri, vigili ceſſerit Heſpero
Stellis ſuavè micantibus.
    Sic & te juvenem ſæpè pater ſenex
Aris aſpiciat ſacris
    Mulcentem niveâ ſidera victimâ.
Felix! qui ſuperas domos
    Prudens, & volucris temporis exitum,
Lethique ancipitem viam
    Vitæ de roſeo limine proſpicit,
Metiturque diem die.
    Virtus, crede mihi, ſola perennibus

Di-

Ditat poſt cineres bonis,
    Cultoremque beat : cetera diffluunt
Ceu nubes properantibus
    Prætervecta Notis ; cervaque ceu levis,
Latratu ſubito excita,
    Cum denſis volitans pulveribus fugit.

ODE XV.

AD SEIPSUM JAM SENEM.

Senibus non amplius favere Apollinem.

LUſtra bis ſeptem mea vidit ætas,
Tertium & lapſis ſuperaddit annum,
Nec mala tuſſi levor, inquietus
    Nocte dieque.
Ultimam nobis Libitina lucem
Nuntiat, buſtoque minatur horam
Ire vicinam : tamen uſque Phœbus
    Calliopeque
Ducit ad ſacras Heliconis umbras,
Ducit ad fontes : mea nec liquore,
Quem bibit largè ſitiens juventus,
    Ora rigantur.
Tantali pœnam cupit experiri,
Captat & rivum fugientis undæ,
Si quis invito meditatur ævo
    Condere carmen.
Hoc opus poſcit bene temperatum
Sanguinem. Marti velut ille miles
Gratus, ardenti pede qui frementem
    Tendit in hoſtem
Nec ſenex nec jam puer, at virilem
Exſerens ignem, mediumque robur.

Turpis in campo vetulus, ſenili
Debilis ævo.
Turpior multo, mihi crede, vates
Ore qui rauco ſtrepitat poëtas
Nobiles inter, velut inter albos
Anſer olores.
Quid moror toto procul ire Pindo?
Audiunt, ridentque novem ſorores,
Quem gravant anni, ſenio trementem
Tollere vocem.
Dum Lyræ tento ſociare cantum,
Hæret ad ſcabros mihi lingua dentes,
Apta nec metri numeris replendis
Verba ſequuntur.
Deficit mentis vigor impetuſque,
Qui ſolet ſacros animare vates:
Vena limoſo fluitare neſcit
Obſita muco.
O vale multum mihi cara quondam
Muſa, voſque ô perpetuo valete
Antra Parnaſſi, vitreique fontis
Pegaſe vindex.
Non reverſurus citharam repono
Subter hâc ulmo. Grave me ſenectæ
Admonet pondus removere tales
Pectore curas.



LIVINI
MEYERI
E' SOCIETATE JESU
DE IRA
LIBRI TRES.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

TRibus ſequentibus libris, amice lector, de Ira mihi ſermo eſt, humani generis hoſte infeſtiſſimo. Quod quidem argumentum ſelegi eò lubentiùs, tum quia à nullo Poëtarum (quod ſciam) tractatum ſit hactenùs; tum maximè quia præter concentum vocum ac ſyllabarum, quo auribus conſulitur, utilitas quoque ad animos legentium derivetur. Quemadmodùm enim nullum eſt animi vitium quod Irâ vehementius ſit atque nocentius, nullum quo rationalis natura deformetur magis; ita utilius eſſe quidquam vix poteſt, quàm malo tam præcipiti medelam afferre, & hoc animorum extinguere veluti commune incendium.

Paucula tantùm monere viſum fuit. Primùm, propoſitæ materiæ gravitatem, licet videri magna poſſit, eam tamen non eſſe, ut Heroïci metri majeſtatem quaſi ſuo quodam jure poſtulet. Quippe inter cauſas Iræ atque irritamenta, quæ libro primo commemorantur, tam le-

via,

via, tam tenuia, tam minuta occurrunt, ut quemadmodùm eſt mirum animos his noſtros moveri ad iracundiam, ita prorſus videri poſſit inter formicas tonare, ſiquis iſta ſublimiore ſtylo expreſſerit. Accedit quod Iræ remedia, quæ libro tertio argumentum præbent, quæque potiores hujus materiæ partes tenent, ſuaviter animis inſtillanda ſint, ac proindè citharam potiùs requirant quàm tubam. Denique ſic res habent hodie, ut Elegiarum metrum non ad luctus ſolùm atque amores, ſed ad argumenta quoque ſeveriora citra Parnaſſi injuriam accommodetur. Quid enim? (ut ne Propertii pugnam Actiacam & alia ejuſmodi plura commemorem) quid inquam, de ingenioſiſſimo Poëtarum cenſebimus, qui Faſtorum libros, quibus continentur tam varia, tam à luctibus amoribuſque aliena, tamen ad citharæ chordas exegit. Quid ſi etiam Horatii prudens ſecutus ſim monitum, ut de ferendo onere humeros priùs conſulerem, quàm ad ingentem machinam infirmas vires incautus afferrem? Etenim non eò

 obli-

oblivionis veni, ut tenuitatis meæ memor non ſim. Iſti Homerum atque Virgilium feliciùs ſpirent, quibus altiùs Phœbus intonuit. Mecum præclarè geſtum erit, ſi has tenuiores Camœnas eruditus lector non omninò faſtidierit.

Alterum erat quod lectorem monitum volebam, à Poëta Chriſtiano alienum non eſſe, ut Dianam, Neptunum, Cererem, aut Jovem appellet, exclametque nonnumquam *Dî faciant!* Non enim his loquendi formulis ad ſcrupulum Poëtæ, ut Theologi ſolent, utuntur: immò ne antiquiores quidem ſemper; ſed Bacchum pro vino, Neptunum pro mari, Cererem pro frumento uſurpant. Quippe aliud eſt Theologum, aliud Poëtam agere. Enimverò ridiculus is ſit, & in Helicone peregrinus, ſi quis inter fabulas Religione movebitur. Verùm iſthæc non moror, multus & difficilis in re nota & pervulgata ne ſim. Opto potiùs ac voveo, ut iracundi ad clementiam animique moderationem, diſſidentes ad pacem & concordiam revocentur. Quem fructum ſi referant Muſæ, hic illis pro lauro erit.

PROOEMIUM

Librorum de Ira.

IRam quæ moveant causæ, quæ damna sequantur,
Quâque sit à teneris arte domanda, canam.
Magnum humeris onus infirmis. O quod mihi Nu-
Dignum materiâ surgere curet opus! (men
Vatum Phœbe pater, quo vindice prima feruntur
Sæcula barbariem deposuisse suam:
Auspice te cecinêre rudes ignota Poëtæ
Carmina: sim curæ pars ego parva tuæ.
Tu meritò mitisque Deus, pacisque putaris
Auctor, & intactæ cultor amicitiæ.
Tu Superos inter citharæ cantûsque repertor
Flexilibus mulces pectora dura modis.
Ergo ades, irarumque ortus, totumque venenum
Detege, nec medicam ferre moreris opem.
Fallor, an arcanum subiit præcordia Numen,
Et novus Aoniis collibus ardor adest?
Ut feret ardor, agar: quamvis quò semita nulla
Ducit, inexpertas cogor inire vias.
Anxius in ventos abeat timor: i mea parvo
Cymba lacu; Musæ vela minora regent.



Causa Iræ.

SEmina principio morbi ſcrutanda latentis,
Unde oriens ſubitas excitet ira faces.
Queis veniat cauſis, quo vires fomite ducat,
Unde habeat flammæ pabula certa ſuæ.
Hâc iter; infames ſcopulis tentabimus undas,
Fœta licet monſtris multa minetur hiems.
Quid tamen antiqui crimen meminiſſe parentis
Attinet, audaci pomaque lecta manu?
Hinc ſubiit ſeros ſcelerum genus omne nepotes,
Ivit in heredes ut nova culpa ſuos.
Hoc pelagus commune mali. Mihi rivulus iræ
Quæritur. Hanc ripam remus, & aura leget.
Sunt quibus eſt radix & cauſa domeſtica morbi
Bilis, & infecti vena cruoris iter.
Nec bona temperies & juſto parcior humor,
Et quæ corporibus plura nocere ſolent.
Sicca nocet macies & vis innata caloris,
Orbibus & retrò lumina fixa cavis.
Pallidaque obliquis liventia tempora venis,
Oſſaque per graciles conſpicienda genas.
Scilicet his, ſi fortè moves, aſſurgit in iras
Sanguis, ut exundans cum tumet igne vapor.
Aut velut admotas rapiunt cita ſulphura flammas,
Perque leves ſtipulas lapſa favilla volat.
Sæpè etiam cum lacte bibit contagia dira,
Uberibuſque puer damna futura trahit.
Parcite nutrices cunis adhibere moleſtas,
Abſit & à tectis aſpera ſemper anus.
Hæc nocet exemplo, ſuccis vitalibus illa:
Tollenda arbitrio eſt utraque cauſa meo.
Inſunt materno vitiorum ſemina lacti,
Hauſtaque furtivâ tranſitione nocent.

Romu-

Romulus arma tener primis tractavit ab annis,
  Bellaque finitimis movit acerba puer.
Pòst nova fraternâ firmavit mœnia cæde
  Barbarus : haud tanti condita Roma fuit.
Immitemque ferox duxit per prælia vitam.
  Nutricem fcires hunc habuiffe lupam.
Difcite manfuetæ præbere alimenta parentes.
  Tempore vos illo bile carere decet.
Si qua furens pueris lactentibus ubera præbet,
  Efferat ingenium prolis iniqua fuæ.
Et refert quo quifque loco, quo fidere natus.
  Aërii motus corpora noftra regunt.
Cernis ut oppofitis variet regionibus æther,
  Inque fuas zonas fectus ut orbis eat?
Hæc riget ora gelu : pars uritur illa calore:
  Altera temperie gratior aura fuâ eft.
Hæc animi pariter capiunt difcrimina noftri:
  Iraque fervores fumit ab igne novos.
Mitior hinc Belgis venit impetus, acer Iberis,
  Decolor & vires fideris Indus habet.
Quid referam Libyco nafcentes igne leones,
  Quafque finu tigres Africa ficca fovet?
Serpentefque feros & monftra natantia ripis
  Celat in æftivis Nilus arundinibus.
Noftra peregrinis caret ora benignior urfis:
  Floret odoratis Belgica terra rofis.
Quò magis in noftros veniat clementia mores,
  Efficitur patrii conditione foli.
Ipfe vides quid agant læfi contagia cæli,
  Inficit afflatu cum gravis aura fuo.
Lurida dum totos abfcondunt nubila foles,
  Noxque procellofis humida fertur equis.
Corpora tunc languent pariter, nec inertia mentes
  Linquit, & in lucem fomnia longa tenent.
At fimul in rofeis Zephyrus nitidiffimus alis
  Fulfit : adeft animis, corporibufque vigor.

Carmina tum ſubeunt, ſubeunt Heliconia tempe,
  Et volucres pulſo dulciùs imbre canunt.
Quò raperis ? gyro puppis breviore feratur,
  Arctiùs & preſſâ contrahe vela manu.
Non tantùm faciles agitat vis ſideris iras:
  Hæc eſt de minimis cauſa futura mali.
Fortiùs irritant animos acuuntque furorem
  Vina, nec ebrietas litibus ulla caret.
Non tibi de nihilo Liber Deus ille vocatur:
  Nempè quod à cyathis libera verba volant.
Peſſima libertas mentis convitia linguæ
  Sufficit, & rixis uda taberna ſonat.
Tunc ſubit attonitas præceps audacia mentes,
  Iratâque volant pocula jacta manu.
Vulnera tunc mappâ deterges cruda rubenti:
  Sobrius at partes manè dolentis ages.
Vina movent animos furiis, nimiumque caloris
  Vitis habet: vino pes ratioque labant.
Illius imperio fortiſſima pectora cedunt,
  Rarus & ex illo turbine victor abit.
Majus Alexandro nîl Græcia protulit olim:
  Illi finitimos vincere, ludus erat.
Ecce triumphatis auroræ ad limina Perſis
  Fulminat, & toto victor ab orbe redit.
Omnia qui vicit, tamen eſt ſuperatus ab irâ:
  Principium cladis vina fuêre novæ.
Vina ferox ſuaſêre ſcelus cædemque probroſam.
  Hæc nota tot palmis una pudenda fuit.
Clite jaces, neque te Medæ læſêre ſagittæ,
  Immeritum rupit Principis haſta latus.
Principis ebrietas nocuit, nocuêre furores,
  Vitaque per cauſas eſt tibi rapta duas.
Victor ut extremos Bacchus penetravit ad Indos,
  Tunc primùm audaces vertit ad arma manus.
Curribus Eoas cœpit tunc jungere tigres,
  Militibuſque ſuis tela gerenda dedit.

Olim

Olim contentus raras dare parciùs uvas,
Fundebat Nymphis pocula ſola ſuis.
Capripedeſque inter Satyros Faunoſque bicornes,
Collibus in patriis pacis amator erat.
Hactenùs innocuo mortales fonte bibebant,
Nec fuerant ullis condita vina cadis.
Prodigus at poſtquam populis ſua munera miſit,
Et peregrina malo crevit in orbe ſitis:
Tunc pariter lites, pariter venêre furores,
Pectora cùm flammis incaluêre novis.
O quoties ſubitus turbat convivia clamor!
Nec timet offenſos ebria turba lares!
O quoties ſeros repetens conviva penates,
Immeritæ vexat dulcia membra domus!
Vina nocent, turbantque animos ratione ſepultâ.
Qui poterit vino parcere, mitis erit.
Fallere nec tutum eſt nocituro tempora ludo.
Semper diſſidii ſemina ludus habet.
Victor es? audaci ſurgent faſtidia victo,
Et tua, materies, palma furoris erit.
Quidquid ages refereſve, animo feret ille maligno,
Teque reum fraudis ſuſpicioſus aget.
Non benè jactata eſt, digitiſque morata pependit
Alea, nec juſtâ volvitur illa viâ.
Et numeros carpet, tolletque prioribus unum,
Qui reliquis palmæ cauſa futurus erat.
Nec tibi teſtanti cœleſtia Numina credet.
Nulla erit arbitrio res dirimenda tuo.
Ludendique unus leges & tempora ponet,
Donec in extremæ ſidera noctis eas.
Tum tibi ſubjiciet patientia læſa furorem,
Nec poteris longæ tædia ferre moræ.
Non raro & ferro pugnabitur: exitus ille
Crebrò damnandis luſibus eſſe ſolet.
Hei mihi quàm magno ſpes lucri conſtat inanis!
Dum ſua victori palma cruenta venit.

Quamlibet hæc rata ſint; tamen his graviora ſuper-
Pluraque libertas quæ tua peccat, habet. (ſũt,
Ecce ſubit, vexatque recens præcordia febris,
Alternâ repetens frigida membra die.
Aut premit articulos, res immedicabilis, humor,
Difficiliſve cavo ſtat tibi dente dolor.
Nauſea vel ſtomacho cererem faſtidit inani,
Vel tibi dat ſomnos tuſſis anhela breves.
Protinùs aut famulum non aptè ſtrata moventem,
Aut puerum, bilis quem tua ſtringat, habet.
Cymbala tinnitu lædunt, luſorque catellus
Vapulat, & domino quæ placuêre, nocent.
Pocula præcipuè ſuccis ubi dantur amaris,
Sive parat ferrum, ſeu parat ignis opem:
Tum celer erumpit furor in faſtidia: nec te
Illo, quid deceat, tempore cura tenet.
Quid facitis? fruſtrà verbis lenitis amici.
Aſperitas nullis iſta levanda modis.
Ite procul, tetrico ſolamina veſtra nocebunt:
Non uxor poterit, non ſoror apta loqui.
Non, ſi cum cithara veniat ſolator Apollo,
Pectoris Aoniâ leniat arte malum.
Corporis infirmam rapiunt contagia mentem:
Hinc mala difficilis pabula morbus habet.
Sed tamen & venia eſt magno conceſſa dolori,
Culpaque cenſores vix habet iſta ſuos.
At tu ne causâ caveas leviore traharis.
Sæpè graves flammas parva favilla movet.
Ecce (quis hoc credat?) varians Fortuna furorem
Incitat, atque iræ ſemina caſus habet.
Fortè tibi meſſis ſitientibus uritur agris,
Et negat optatas aridus annus aquas:
Aut pecori ſcabies, aut turbo grandinis uvis,
Aut nocuit teneris cana pruina ſatis:
Aut lucri cupidum fallit mare, vel rapit hoſtis,
Mercibus & gaudent barbara vela tuis:
Ure-

Ureris heu! queruloque ſonat tibi lingua tumultu;
Forſan & in Superos verba proterva jacis.
Si vacat exemplis me teſte recentibus uti,
Accipe; mendaci non capiere fide.
Nuper arundiferi recubabam in litore Scaldis,
In temerè errantes lumina fixus aquas.
Lintea proſpicio ſummâ candentia pinu:
Impulerat curvos utilis aura ſinus.
Sed nihil eſt aurâ fallacius: errat, & omni
Tempore, quod timeat, navita rector habet.
Dum loquor, exortis variant Aquilonibus Auſtri.
Vertit prora latus: lapſaque vela cadunt.
Ecce furit, dubiiſque parat convitia ventis
Navita, & in Boream jurgia cæca movet.
Ac pede ter feriens ſummæ cava texta carinæ,
Devovet ad ſtygios vela ratemque lacus.
Quid facis? exclamo, quæ mentem inſania verſat?
Improbe non noſtris legibus aura fluit.
Numinis arbitrio venti veniuntque, caduntque;
Et tenet, impulſas aut movet unda rates.
Irrita ſed volucres rapuerunt verba procellæ,
Nec potuit moniti certior eſſe mei.
Atque utinam juſtis ſaltem rationibus ira
Sæviat, & cauſæ par eat illa ſuæ!
At leve neſcio quid, vix ut tibi dicere poſſim,
In furias animos præcipitare ſolet.
Quid fuit ut pectus percuſſerit enſe Timanthes,
Verterit & proprias in ſua fata manus?
Cauſa levis: nequiit quem ſæpè tetenderat arcum
Flectere, conatu deficiente ſenex.
Commodus immeritos fornacibus uſſit ephebos:
Balnea frigidulis cauſa fuiſtis aquis.
Hunc rapit in præceps turbati cauſa ſoporis,
Illum lapſa cavâ pocula forte manu:
Pileus hunc vento raptus, vel pallia limo
Obſita, vicinâ prætereunte rotâ:

Aut ictum pedibus, dum respicit atria, limen,
Clavis & angustæ non satis apta seræ.
Sive oculos subitò surgens tibi stringit eunti
Pulvis, ab obliqua subvolitatque via:
Seu te detinuit nimbus rus ire parantem,
Seu festinatum turba moretur iter:
Sive quis è populo cubito premit: ociùs ira
Exilit, & geminum lumina fulmen habent.
Hei mihi! quàm celeri rapiuntur pectora motu!
Quàm venit à vento magna procella levi!
Vidi ego qui clausas quatiebat calcibus ædes,
Tardior occurrens causa minister erat.
Vidi ego quæ raptos laniabat stulta capillos,
Quod fuerat tenui saucia pectus acu.
Comere difficile est dominas, quas forma superbas
Inflat, & immodici cura decoris habet.
Pectinis hanc dentes, hanc dura sedilia lædunt,
Hanc cruciat laxæ ruga relicta togæ.
Non satis à medio redimicula vertice pendent,
Gemma nec errantes colligit apta comas.
Aut nodo properans ancilla erravit in uno,
Nec speculum justâ præbuit illa manu.
Poscit ut ora lavet, vel candida brachia tergat?
Si tepet, accusat; si calet unda, nocet.
Quamlibet officio studeas, studeasque decoro;
Nîl satis exactum, quodque probetur, erit.
Quid referam natos curis rivalibus ignes,
Dum tuus alterius læsus amore dolet?
Hoc est cur spreti coëant in cornua tauri,
Cur sonipes viso calcitret acer equo.
Hæc Libycos eadem stimulat vindicta leones.
Res est, crede mihi, plena furoris amor.
Respice solventes Tyrio de litore Teucros,
Feminaque insani testis amoris erit.
Arserat Ænea miserabilis hospite Dido:
Callidus hanc Paphio læserat igne puer.

Illa quidem regni ſceptrum dotale paterni
Obtulit, infidæ dona ſuperba moræ.
Illa etiam infeſtas ratibus cauſata procellas,
Differri timidum ſæpè rogavit iter.
Aut non ventus erat velis ſatis aptus ituris,
Aut cava laxatæ texta novanda ratis.
Et quæcumque animum poterant mollire fugacem
Addidit, inconſtans ſi remaneret amor.
Scilicet ardentem Lavinia perculit uxor,
Et prælata ſuo nupta Latina toro.
Nox erat : urgetur monitu properare Deorum;
Ille jubet demptâ pandere vela morâ.
Senſit amans Dido (quis enim ſat fallat amantem?)
Senſit, & ardores non tulit ægra ſuos.
Ergo ubi curvatis albeſcere jam freta velis
Conſpicit, inſtantis triſtia ſigna fugæ:
Quò fugis? exclamat, ſcopulis crudelior ipſis!
Hùc oculos ſaltem perfide verte tuos.
Dixit, & inſanum gladio finivit amorem.
Concidit ipſa ſuas ſanguine ſparſa manus.
Scilicet ultor Amor, ſi quando reſiſtitur illi,
Fulmina de facibus vibrat acuta ſuis.
Quæ fuit everſæ ratio, niſi femina, Troiæ?
Grajus ut Iliacas perdidit ignis opes.
Quod niſi Priamides Helenen rapuiſſet adulter,
Nulla ſalo vindex claſſis itura fuit.
Qui rapuit captam Briſeïda primus Achilles,
Alterius doluit rursùs amore rapi.
Diſtulit in decimum vindex furor Ilion annum.
Tantũ in amante odium, flammaque læſa valet.
Nec minùs ambitio triſtes movet atra procellas:
Hæc inimicitiæ femina lata jacit.
Regibus hæc Reges committit, & arma miniſtrat:
Arſuras bellis ſubjicit illa faces.
Ambitio Actiacæ ſignum fatale ruinæ
Concinit : Iöniæ quod meminiſtis aquæ.
Vive-

Viveret intacti felix Regina Canopi,
Anguibus haud victas implicitura manus.
Viveret, augustæ si non capitolia Romæ
Sperasset remis vincere posse suis.
Illa quidem Latias animo jam ceperat arces,
Classe potens, profugi viribus aucta ducis.
Victor at Augustus fugientia vela secutus,
Femineas Nilo compulit ire rates.
Victa furit, mauroque perit Regina veneno.
Has mulier pœnas ambitionis habet.
Ipsa etiam immites injuria suscitat iras.
Læsus honor tanti prima favilla mali.
Sæpè aliquis ferrumque libens tolerabit & ignes,
Corporis & poterit parte carere sui:
Nec cadet adversis animi constantia rebus,
Mitiaque in medio verba dolore dabit.
Idem si læsæ subeat discrimina famæ:
Anguibus asperior, quos rota tangit, erit.
Hæc est Scylla vorax, hæc irrequieta Charybdis,
Naufragii tabulas hæc habet unda tui.
Quamlibet hæc firmas fregerunt saxa carinas.
Semper ab hac animus vulnera parte tulit.
Utque animi variant, ita non feriuntur eodem.
Dissimilis plebem causa movere solet.
Ecce piger loris baculoque feritur asellus,
Verberibusque latus, tergoraque icta sonant.
At sonipes visam virgæ salit acer ad umbram,
Et faciles motus nobilis ardor habet.
Dissimulent alii, generosos verba lacessunt.
His salis obliqui syllaba fulmen erit.
Infelix animis sedet hinc discordia læsis:
Pax abit, extremo vix reditura die.
Donec aves silvæ, maturas messis aristas,
Oceanus conchas, Hybla fovebit apes:
Dum Parthi pharetrâ pugnabunt, classe Britanni,
Dum Batavus patriis retia merget aquis:

Sem-

Semper inextinctas injuria nutriet iras.
Hæc & amicorum funere trita via est;
Hinc triviis crux multa stetit, cædesque loquuntur
Marmora, funestis sanguinolenta notis.
Obruor incepto, nec habet mea cymba regressum,
Et patet in cursus area lata meos.
Aptiùs æstivo spirantibus aëre ventis,
Populeæ numerum coner inire comæ:
Aut referam citiùs quot apricis collibus herbæ,
Quot rutilent toto sidera clara polo:
Quàm quot sæva modis subit in præcordia pestis,
Quosque nocens stimulos vita furoris alit.
Paci fastus obest, irasque superbia magnas
Excitat: exemplum non leve Cyrus erit.
Mœnia cincturus motis Babylonia castris
Iverat, & regni liquerat arva sui.
Et poterat locus ille capi, quia nuda vacabant
Mœnia præsidio, plenaque pacis erant.
Amnis iter prohibet (Gynden dixêre priores)
Fonte celer largo, vorticibusque frequens.
Pontibus injectis longa est mora: nare per undas
Imperat: hi fluctus Rege jubente secant.
Lactis erant similes niveâ cervice jugales,
Et soliti currum ducere Regis equi.
Abripit ex illis aliquem violentior amnis;
Mergitur hic præceps, vorticibusque perit.
O! quantum armatus valuit furor! urbe relicta
Sæviit in surdas ultor inanis aquas.
Regis ad imperium ripæ finduntur, & undis
Deficiens, siccum præbuit amnis iter.
Barbarus exultat, vindictaque gratior illi,
Imperium captæ quàm Babylonis erat.
Cyre quid immeritos rabiem convertis in amnes?
Sensus abest illis, iraque vana tua est.
Æquum erat irasci populis hostique merenti.
Tu victor: pœnas ille daturus erat.

Nunc

Nunc tibi neglecti periit fortuna triumphi.
  Exitus hic cæcis mentibus esse solet.
At repetamus iter; nocituri cuncta furoris
  Semina, propositum pandere suadet opus.
Dissimulare nefas : vitium commune revelo.
  Accipe, habet sensus candida musa meos.
Plus æquo sibi quisque placet, plus arrogat æquo;
  Dotibus & nostris turba superba sumus.
Ut celer à Belgis nigros porteris ad Indos,
  Terra suos mores barbara quæque probat.
Quisque lubens audit propriæ præconia famæ,
  Rarus in alterius laude disertus erit.
Sive cupis stultum, sive hoc puerile vocari,
  Nescio quo cunctos res juvat ista modo.
Laude (quod est mirum) ratione carentia ducas.
  Quis putet hoc ipsas edidicisse feras?
Laudatæ modulantur aves, Junonius ales
  Attollit pennas ad bona verba suas.
Laude jubæ tolluntur equis, laudataque discit
  Vocibus humanis garrula pica loqui.
Altiùs humanas percellit gloria mentes,
  Nec tumidus metas ardor honoris habet.
Ille cupit doctus, cupit hic formosus haberi,
  Huic sua nobilitas, sit licet empta, placet.
Hic rudis eloquio, se judice, vincit Ulyssem;
  Divitis hic titulo, Consulis ille tumet.
Ille fugax miles, cinctus tamen ense superbit,
  Et sua (quis credat?) cornua pauper habet.
Cumque sit è trivio natus, se fascibus aptum
  Credit, & excelsum tollit ad astra caput.
Luce sacrâ, soleâ tundit crepitante plateas,
  Pellibus ornatas induiturque manus.
Aspicit insanos ridens vicinia fastus.
  Ut graditur, natum Consulis ire putes.
Omnibus aspirat studium natura placendi:
  Infimus ut quisque est, maximus esse cupit.

Hoc

Hoc eſt cur minimam vocis movearis ad umbram,
Irritat flammas iſta favilla tuas.
Experiare licet, te teſte fatebere culpam,
Teque reum noti criminis intùs ages.
Sæpè etiam ambiguo nocuit vox edita ſenſu,
Et malus interpres, pejor & hoſtis eras.
Quid facis imprudens? quid ſenſu verba ſiniſtro
Accipis, in luctus ingenioſe tuos?
Falleris : hic verbo te lædere noluit iſto.
Tu tibi, quod non eſt, fingis inepte ſcelus.
Sic vaga nocturnus properans per rura viator,
Quam peteret ferro territus, umbra fuit.
Nocte fatigatos ſic anxius occupat horror,
Somnus & hoſtiles fingit adeſſe manus.
O! ubi ſimplicitas antiqui candida mundi?
Dum colerent humiles Numina prona caſas.
Illo non aliquis caros lædebat amicos
Tempore, non belli noxia cura fuit.
Pax erat, & nullæ quas faſtus parturit iræ,
Nullus ab ambiguis vocibus error erat.
Ancipiteſque ſoni rigido cenſore carebant.
Grande nefas : tectos velle putare dolos.
Nunc ſuperis terrâ per crimina noſtra fugatis,
Alter in alterius vocibus ultor adeſt.
Nec pudet à veris alienos fingere ſenſus,
Nec pudet arbitrio quæque notare ſuo.
Scilicet in pejus declinat ſerior ætas,
Genſque parum ſimplex, nec ſine fraude ſumus.
Fama quoque, & facti veniens temerarius index
Obfuit, & menti vulnera cæca dedit.
Diſpereat! linguâ quicumque nocere ſuſurrâ
Suſtinet, & medios diſſipet aura ſonos!
Nec tamen inquiris, veri ſi criminis index
Venerit : arbitrium prævolat ira tuum.
Nuntiet ut falſum, rumore movebere falſo.
Dî faciant, lentè credulus eſſe velis!

Quæ-


Quæritis Hippolytum Theſeus cur limine pulſum
  Perdiderit? facti cauſa noverca fuit.
Illa quidem falſum narraverat improba crimen:
  Devovet hunc furiis non minùs ille ſuis.
Phædra quid exultas, odioque extinguis amorem?
  Gloria privigno parcere major erat.
Tu quoque debueras non tam citò credere Theſeu:
  Innocuus patriis non raperetur equis.
Cur Cephalum Procris vetiti damnavit amoris?
  Auribus infelix credidit ipſa ſuis.
Dum furit & crimen properat viſura mariti,
  Vanus, & (heu!) ſerò cognitus error erat.
Quid moror exemplis? nimium ſtudioſa ſiniſtri,
  Et nimis in pejus credula turba ſumus.
Suſpicio quoque ſæpè nocet: ſi tangeris illâ,
  Lædit, & in tacito pectore vulnus alit.
Sive aliquis fixo ſpectat tua lumina vultu;
  Ureris, & fixus crimina vultus habet.
Sive quis è turba populo plaudente cachinnat;
  Judicio riſus te petit ille tuo.
Non venit ad cœnam conviva vocatus eamdem?
  Cauſa latet: ſed te judice faſtus erit.
Huic brevis eſt ſermo? properata ſilentia culpas.
  Nempe aliquid quod te celat amicus habet.
Ille morâ peccat, lentuſque ſalutat euntem.
  Tuſſiit hic: tuſſis ſed tibi ficta venit.
Semper ab alterius factis, ſint integra quamvis,
  Materiam culpæ ſuſpicioſus habet.
Quò non fraus penetrat? verbo non læderis ullo?
  Languidus, & ſocio judice, lentus eris.
Ille tuos dictis animos ſtimulabit amaris,
  Ille dabit cineri ſulphura viva tuo.
Arguet & timidum, cita ni vindicta ſequatur,
  Et cupiet famæ te meminiſſe tuæ.
Turpis adulator! quid denſis vimina ſilvis,
  Aut quid Carpathiis fluctibus addis aquas?

Parce

Parce animum blandis ſcelerate laceſſere verbis.
Ut nihil adjicias, ſponte diſertus erit.
Non eget impulſu, nimiùm quoque prona furoris
Semita, ſed frenis impedienda fuit.
Altera, ſed levior, rixas tibi cauſa minores
Morum diſparitas, ingeniique parit.
Inter tot comites poterit tibi quilibet alter
Quidlibet, offensâ non prohibente, loqui.
Hic tibi diſſimilis fato & natalibus horis,
Dicat idem : verſa fronte ſeverus eris.
Dic mihi quid cauſæ? neſcis. Hoc ſcilicet unum eſt:
Non ſatis ingenio convenit ille meo.
Sic mala natales faciunt divortia ſtellæ,
Hoſtis & in cunis naſcitur ille ſuis.
Hoc quoque pacatos non rarò ſuſcitat ignes,
Judicio numquam cedere velle tuo.
Cum ſemel immotam ſubiit ſententia mentem,
Permanet, atque animo fixa tenaxque ſedet.
Si quis in adverſum victor rationibus urget,
Diſplicet; audacem te mala cauſa facit.
Sæpè furens aliquis causâ deceptus inani,
Subſtitit, erroris conſcius ipſe ſui :
Pergit, ut errorem celet : pudor ipſe furentem
Incitat, & culpæ pœnituiſſe piget.
Adde quod & curæ, niſi ſi modereris & illas,
Difficilem faciunt, perpetuuſque labor.
Præcipuè cum fervet opus, rebuſque laborat
Mens intenta ſagax ingeniumque vigil.
Tunc neque commotæ ſonitum tolerare feneſtræ,
Nec potis es vocem, ſi qua loquentis erit.
Nec moderata dabis reſponſa rogantibus, & te
Riſus ſecreta lædet ab uſquè domo.
Quin etiam eventûs ſpes irrequieta ſecundi,
Succeſſuque carens, cauſa furoris erit.
Fortè feret gladium, juſſus dare pallia ſervus,
Officio præiens ultima verba ſuo;

Tardiùs aut domini peragens mandata moratur,
Aut responsa celer, non tamen apta refert.
Impatiens subit ira animum, procul ire jubetur
Ociùs à vultu rusticus ille tuo.
Quid ? quod inops victus vacuæque incommoda
Irritant animos, impatiensque sitis: (mensæ
Nudaque paupertas sociis comitata querelis,
Cum fert angusto tempore nullus opem.
Quid valeat furibunda sitis, laticesque negati,
Exitio didicit rustica turba suo.
Venerat in Lyciæ campos Latona feraces,
Inque sinu natos, dulce ferebat onus.
Fessaque jam dudum longarum errore viarum,
Optabat miseram fonte levare sitim.
Aspicit ex imis lucentem vallibus undam,
Inque paludosæ margine sedit aquæ.
Forsitan agrestes illic fruticosa legebant
Vimina, sublimem sole tenente viam.
Utque genu flexit latices haustura bibendos,
Obstat, & hauriri rustica turba vetat.
Indignata Dea est: tamen exorare vetantes
Sustinet, & veniam supplice voce rogat.
Munus ait commune peto. Non membra lavare
Venimus: unda levet quantulacumque sitim.
Vos ego per parvos qui tendunt brachia natos,
Uberaque assiduo sicca calore rogo.
Dixerat: irrident, Divamque paludibus arcent,
Et pedibus limum stagnaque pura movent.
Ira siti mota est: & quæ mihi stagna negatis,
Incolite, & mediis vivite dixit aquis.
Turpiaque in virides transformat corpora ranas:
Ora paludoso gurgite rauca sonant.
Vincitur ipsa siti patientia læsa Dearum:
Tu tua plus superis pectora posse putas?
Nec minùs irritant jejunia longa furorem,
Et faciles iras venter inanis habet.

Lon-



Longa fames ſævire lupos & luce vagari
  Cogit, & audaces præda cupita facit.
Vidimus ire canes dominoſque laceſſere morſu,
  Et rabidos totâ vulnera ferre domo.
Scilicet & fibras & inania viſcera bilis
  Permeat, & motu corda furente quatit.
Quid? quod avaritiæ ſordes, nec honeſta tuendæ
  Cura domûs, paci mentis obeſſe ſolet.
Perdita res levis, & lapſæ jactura ſcutellæ
  Angit, & in querulos concitat ora ſonos:
Non aliter quàm ſi Parthus prædator avitas
  Auferat, & raptas ignibus addat opes.
Credis & hoc? nummus digitis elapſus apertis,
  Volvitur ex oculis, non ſine bile, tuis.
Verre pavimentum, & laxis admitte feneſtris
  Lumina: palpantes decipit ille manus.
Intereà fruſtrà quærentem tædia lædunt,
  Iraque de minimâ ſurgit acerba morâ.
Ille latet tenui rimæ celatus hiatu,
  Angulus extremo continuitve ſinu.
Non rarò & ſceleri ſcelus eſt via. Sæpè nocentes
  Urget, & in furias Æacus ultor agit.
Noxius Eumenidum ſtimulis agitatus Oreſtes,
  Non poterat culpæ non memor eſſe ſuæ.
Illius ante oculos manes venêre cruenti,
  Nigraque perpetuas attulit umbra minas.
Hinc terror, Furiæque, & mens excita tumultu,
  Horrendiſque brevis ſomnus imaginibus.
Penthea quis neſcit, ſcelerati & fata Lycurgi?
  Improbus eſt furiis notus uterque ſuis.
Singula quid referam? numerum ſua copia vincit,
  Semper & exhauſtis ulteriora patent.
Nam neque frondoſa glandes numerabis in Ida,
  Atque oculos fallax vincet arena tuos:
Et tibi conanti cauſas cenſêre furoris,
  Uſquè fatigato quod ſuperabit erit.

Præteriturus eram morosæ fata senectæ.
  Quis nescit querulum carpere cuncta senem?
At tu, si sapies, quidquid narrare parabit,
  Annue : judicio gaudeat ille tuo.
Arguis? extremos in flammam colliget ignes,
  Concutiens canum voce tremente caput.
Quid tamen esse putem cur sit morosa senectus?
  Anne quod infirmis mens ratioque labat?
An quod in effeto minuuntur corpore vires,
  Morborumque senes triste fatigat onus?
Anne decêre putent canis censoribus uti,
  Temporis & nostri de levitate queri?
Et meliore notâ describere sæcula lapsa,
  Utque recens ætas deteriora ferat?
Quidquid id est, veniam querulæ concede senectæ,
  Sic tibi canitiem Dî sine lite ferant!
Pars exacta novi, superest pars altera cursûs.
  Hâc mea tantisper cymba moretur aquâ.



DE

DE IRA LIBER II.

Damna Iræ.

HActenùs irarum ſtimulos cauſaſq; canebam.
  Quos petiit portus ſalva carina tenet.
Majus iter ſupereſt. Ventis cita carbaſa nautæ
  Tollite : de Pindo fortior aura venit.
Dum favet, & vires faciunt, nec pectore Phœbus
  Dexter abeſt; iræ damna dolenda canam.
Ordior à ſignis. Sunt & ſua ſigna furori;
  Nec caret indiciis ira propinqua ſuis.
Titan nube latens, repetitaque litora mergis,
  Auditique procul murmura rauca maris,
Prædicunt trepidis ventura tonitrua nautis.
  Intonat exiguâ certa procella morâ.
Et ſua tempeſtas animo eſt, rabiemque futuram
  Mutato veniens indicat ore color:
Impatienſque oculi fulgor, fronſque aſpera rugis,
  Hirtaque cæſaries, inſtabiliſque gradus:
Et tremulæ cum voce genæ, jactataque latè
  Brachia, & in validos ora ſoluta ſonos.
Omnibus his ardens animus conatibus iram
  Nuntiat : his ducibus bella propinqua monet.
Ipſæ etiam dant ſigna feræ : neque calce minaci
  Parcit arenoſam lædere taurus humum.
Annoſoque furens exercet cornua trunco,
  Prælia mugitu ſollicitatque truci.
Colla paludoſis inflari vidimus hydris,
  Et dare percuſſo ſibila dira lacu.
Nec minùs antra feri terrent Hircana leones,
  Unguibus aut fulvâ cum tumet ira jubâ.
Nonne vides ut fulmineis aper horridus inſtet
  Dentibus, ut nigrâ lumina fronte rotet?
Uſquè adeò in faciem prodit neſcitque latere;
  Adventûſque notas dat furor ipſe ſui.

Non tamen iratis facies erit omnibus una.
  Palluit hic : illi vultus & ora rubent :
His clamoſa venit rabies : his muta tremenſque;
  Hæc vaga & inſtabilis forma coloris erit.
Non magis apparet variata coloribus iris,
  Solis ab adverſis cum rubet arcus equis :
Quàm variè dubiâ facies mutatur in irâ,
  Formaque diverſas accipit una notas.
Diffugiunt torvo Decor & Clementia vultu.
  Feta Meduſæis anguibus ora putes.
Quid? quod & auctorem lædit, minuitque vigorem
  Corporis, & damno paſcitur ira tuò.
Quid? quod agit dubiam præceps inſania mentem,
  Ipſaque lux animi, nube premente, fugit.
Vidimus à rabie totos torpeſcere ſenſus.
  Nullus in exangui corpore motus erat.
Vidimus & miſero pectus trepidare tumultu.
  Sunt quoque, quos ſubitò diriguiſſe ferunt.
Adde quod infirmis pulmonibus ira cruorem
  Miſit, & in ſtygiis vulnera lavit aquis.
Lenior ut fuerit, neque peccet funere ſemper;
  Exemplis tamen eſt illa timenda tibi.
Poſſe nocere ſat eſt : felix! quicumque periclo
  Alterius, didicit poſſe carere ſuo.
Neve putes rectæ domitam rationis habenis
  Poſſe regi : victas non dabit ira manus.
Montanas citiùs freno compeſcere tigres,
  Et poteris fetæ ponere jura lupæ.
Aggeribus veluti ruptis it ſpumeus amnis
  Victor, & effuſas per ſata volvit aquas;
Cum pecus & prenſos imis in vallibus agnos
  Abripit, & fragiles procubuêre caſæ:
Haud aliter frenis victrix ruit ira ſolutis
  Omnibus, & toto volvit in orbe minas.
Non illam gemino populi ſub ſole jacentes,
  Non vitare polis ſubdita regna valent.

Quâ

Quà rubet Eois radiis, quà terra diurnis
  Uritur, Hesperiis quà cadit axis aquis;
Quà Boreasque Notusque volant, victricia signa
  Figit, & à tota gente tributa petit.
Nec minùs ætatem victrix dominatur in omnem,
  Addit & imbelles in sua vincla manus.
Non pueros, non ira senes, mediamque juventam
  Præterit: imperio cuncta potente premit.
Nec premit ex æquo. Variant effectibus iræ,
  Et minùs hîc, illic plus feritatis habent.
Exoritur facilis, facilis quoque deficit idem,
  Et furor in puero nîl nisi verba ciet.
Impetus in teneris non est violentior annis;
  Sic cita de paleâ flamma, brevisque venit.
Sæpè tamen lacrymæ pueris oriuntur inultis,
  Et cum non possint lædere, posse volunt.
Dulce adeò vindicta malum est: minuitq; dolorem
  Lædendi studium, sumptaque pœna placet.
Cur senibus furit ira minùs? quia scilicet ignis,
  Et vigor in sterili stipite rarus inest.
Cum movet ira senes, trepidantia verba palato
  Hærent, & gestu res peragenda venit.
Quod si fortè mali feriunt, baculove minantur,
  Ultima tum vires exerit ira suas.
Mox velut in cineres sopitus labitur ignis,
  Sic ætate furor deficiente cadit.
Femina (grande malum) stimulis agitata furoris,
  Vindictæ cupidas aptat acerba manus.
Scilicet hinc genus hoc Bacchas dixêre furentes,
  Penthea quas Regem dilaniasse ferunt.
Crede mihi, rarò didicerunt parcere læsæ.
  Jure Hecubam dixit fabula prisca canem.
More canum triviis certant; latrare putares:
  Totaque femineâ compita voce sonant.
Causa levis satis est, ardent in prælia linguæ.
  Siste gradum, si quis fortè viator ades.

Ecce ſubit torvâ violentior illa Medusâ,
Altera fert raptâ cominùs arma colu.
Nec mora, turbati rapiuntur fronte capilli,
Nudaque ſubductâ brachia veſte patent.
Calcibus immixtis pugnatur, & unguibus uncis,
Læſaque jactatæ dantur in ora manus.
Et maledicta volant Ætnæis plura favillis,
Ut motant Briareus Enceladuſque latus.
Hoc plebs more furit. Meminit matrona decôri.
Illa ſupercilio, cum ſubit ira, tonat.
Fulminat illa oculis, & longa ſilentia ſervat,
Verbaque majeſtas pondus habere facit.
Acrior ira viris, & ad horrida promptior arma;
Odit verborum prælia : rebus agit.
Lite viri demptâ, faciunt compendia ferro,
Telaque pro verbis, ſcutaque pulſa ſonant.
Cum foret Æacidæ clypei ſucceſſor habendus,
(De merito judex Græcia tota fuit.)
Dicitur his Ajax, caſtris cum ſtaret Achivis,
Dulichium verbis increpuiſſe ducem.
Si dubia eſt virtus, clypeus jaciatur in hoſtes.
Qui poterit ferro quærere, victor erit.
Non Ithacus verbis mecum contendat Ulyſſes.
Marte probet : cur non, quæ petit, enſe refert?
Dixit, & aſpiciens quam texit ab Hectore claſſem,
Torva per Idæas lumina volvit aquas.
Conticuitque, animo vocem prohibente virili.
Magnum aliquid ſemper, quæ tacet ira, parat.
At tu fallaci nimiùm ne fide ſereno.
Non habet eventus pax violenta bonos.
Ille cavis vivax latitans ſub nubibus ignis,
Quo minimè credis tempore, fulmen erit.
Bella intùs cædeſque ſonant, occultaque venis
Creſcit, & ardores colligit ira novos.
Excipit interea, cauſamque perorat Ulyſſes,
Eloquioque Ducum corda potente movet.

Con-

Consilio Danai, non cæcis viribus hostis
  Vincitur : ingenio diruta Troia cadet.
Quid juvat Aiacem validos jactare lacertos?
  Impetus est sævis, sed sine mente, feris.
Res est consilii bellum, prudentia vires
  Dirigit, & pugnæ tempora certa notat.
Arte meâ sacræ signum fatale Minervæ
  Iliacâ in nostras vênit ab arce manus.
Arte mea cecidêre Phryges : tentoria Rhœsi
  Testor, & occisos nocte silente Duces.
Singula quid referam? dixit, meministis Achivi.
  Publicus excepit verba suprema favor.
Judicibus Danais Ithaco postponitur Aiax :
  Arma viri fortis lingua diserta tulit.
Tum verò impatiens iræ Telamonius ensem
  Arripit (aspectu proxima turba pavet.)
Ille tacens subito rumpit præcordia ferro,
  Læsaque Troianâ viscera fundit humo.
Tunc quoq; jam moriens oculos contorsit in hostē,
  Atque odium cineri jussit inesse suo.
Tantum animo latitans valuit furor. Occidit Aiax
  Et furit ad stygios umbra cruenta lacus.
Quâque licet vivum facibus sectatur Ulyssem,
  Et ciet horrentes ad nova bella domos.
Nec minùs occultis agitatur femina flammis,
  Celat ubi ardores mens taciturna suos.
Tunc caput in patrem cæsi Philomela nepotis
  Jecit, & est epulis turpiter ulta nefas :
Cum furor inclusus; raptæque injuria linguæ
  Non habuit promptos, quos daret ore, sonos.
Dum potuit Medea loqui, moderatiùs arsit.
  Sustinuit natos perdere muta suos.
Quidquid celatur, nocuit magis : utile sæpè,
  Ædibus accensis, pandere tecta fuit.
Flamma minùs laxata nocet : de carcere vires
  Sumit, & impositum turbine jactat onus.

Femi-

Femineâ tamen est constantior ira virorum,
 Et levitas illas hâc sua parte juvat.
Ut citò mutatur variisque affectibus errat
 Femina, sic parvâ præterit ira morâ.
Firmius ingenium maribus natura feroxque,
 Propositique tenax pectus habere dedit.
Permanet in longos furor indelebilis annos,
 Inque odium sensim flamma virilis abit.
Ut semel hæc animos subiit, penitùsque resedit;
 Omnia contemptâ fœdera pace ruunt.
Non satis utilitas, non commoda publica mentem
 Flectere, non ratio, consiliumque valent.
Pergama quis nescit decimum cecidisse sub annum,
 Prælia cum lustris gesta duobus erant?
Cur malè tot messes tardi pugnastis Achivi?
 Non venit ad fortes gloria lenta manus.
Nam licet objecit pro caris pectora muris,
 Causa moræ Danais non tamen Hector erat.
Oderat impatiens Agamemnona læsus Achilles,
 Oderat: hinc lentè diruta Troia fuit.
Pugnabant Danai; citharam pulsabat, & ultrò
 Vindictæ studio desidiosus erat.
Ecce petunt classem Sigæaque litora Troës,
 Dardanias ratibus subjiciuntque faces.
Hector adest, animoque ferox insultat Achivis,
 Et victor multa cæde superbit ovans.
Pelides ubi nunc? ubi nunc Vulcanius ensis?
 Olim ter stygio membraque tincta lacu?
Puppe sedens aliquâ spectat certamina lentus;
 Et vetat ardentes sumere tela manus.
Dicitur & gaudens clades numerasse suorum.
 O pudor! ô patriæ miles acerbe tuæ!
Tantine una fuit Briseïs, ut Hectora spectes
 Truncantem sævâ corpora Graia manu?
Collige te viresque tuas; tibi debitus hic est,
 Hæc & Achilleâ victima digna manu.

Peli-

Pelidem nîl iſta movent. Satianda voluptas
  Sanguinis, & patriis ira pianda malis.
Nonne vides toto furor ut dominetur in orbe,
  Præbeat ut victas ſexus uterque manus?
Omnia cùm ſuperet, motu tamen impare fervens
  Effectu variat, diſſimiliſque ſibi eſt.
Hæc ferit ira reos, inſontibus illa minatur,
  Hæc brevis eſt, longâ permanet illa morâ.
Illa, quod hoſtis abeſt, peregrinas fertur ad oras,
  Audax longinquo pandere vela mari.
Illa palàm gladiis & apertis dimicat armis,
  Cautior inſidias iſta latenter agit.
Hæc quod vindictæ non eſt data copia, frendet:
  Ira ſuum diris devovet illa caput.
Eſt quoque quæ veſtes laceret furibunda, Deoſque
  Non timeat vanis lædere velle minis.
Conſule præteritos Romana volumina faſtos,
  Notaque ſacrilegi regna furoris erunt.
Hic quia tempeſtas jactaverat æquore toto,
  Auguſtas ſcopulis impuleratque rates:
Neptunum in numero vetuit cenſere Deorum,
  Sceptraque cæruleo ſuſtulit uda Deo.
Exhibiturus erat populo ſpectacula Cæſar
  Ludicra, Romano conſpicienda forò.
Ordinibus geminis geminum proceſſerat agmen,
  Promptaque erant pharetris aurea tela ſuis.
Undique gens excita novos viſura triumphos
  Venerat: ornatas flore tegente vias.
Juppiter immiſſis dirimit ſpectacula nimbis,
  Feſtaque lux caſu nubila tota fuit.
Impius excuſſis Cæſar petit aſtra ſagittis,
  Immeritum pharetrâ ſollicitatque Jovem.
Credibile eſt lapſas Regem petiiſſe ſagittas:
  Pars populi certè vulnera fronte tulit.
Ut ſemel hæc animos rabies inceſſit ovantes,
  Sidera vix alto tuta fuêre polo.

Rel-

Relligioque fugit terras exoſa nocentes,
Et Pietas aris exulat, ore Pudor.
Aurea majeſtas templorum atque aurea ſigna,
Vaſaque ſacrilegâ rapta fuêre manu.
Nîl adeò ſanctum eſt, quod non violaverit ira.
Vix licuit tuto ſceptra tenere Jovi.
Stulta Gigantei quis neſcit prælia belli,
Cum tumidus cælo Pelion eſſet iter?
Enceladus Briareuſque & vaſto corpore Cæus
Stabant : pro telo pars bona montis erat.
Centimanuſque Gyges alto prædator Olympo
Ivit, & audaci terruit aſtra viâ.
Quæ fuit, ô vates, fingendi hæc monſtra libido?
Dicite, ſi veri fabula pondus habet.
Dicite quid validis pubes Ætnæa lacertis,
Oſſaque Peliaco vertice preſſa, velint.
An quod habent magnas furor atque inſania vires,
Iſta Gigantei corporis oſſa notant?
Anne quod impietas comes eſt adjuncta furori,
Fingitis in ſuperos prælia geſta Deos?
At niſi me ſacrâ fallit caligine Phœbus,
Judicio vera eſt utraque cauſa meo.
Parcite divinos falſi damnare Poëtas:
Vera, ſed obtensâ plurima nube, canunt.
Tartara ſic Orpheus, ſic Dædalus aëra rupit,
Æquor Arioniæ ſic domuêre lyræ.
Nec tamen antiquos latuit ſapientia vates,
Crede mihi, vulgo non penetranda canunt.
Diſcite, poſt cælo pulſos Jovis igne Gigantes,
Difficiles auſis turpibus eſſe vias.
Diſcite, ſacrilegæ poſt improba prælia turmæ,
Opprimat auctores ut gravis ira ſuos.
Ter tonuit Jovis alta domus, tria fulmina miſit:
Enceladus contrà ter ferus arma tulit.
Fulminis at quarti percuſſus creditur ictu
Trinacriæ victum ſuppoſuiſſe latus.

Nep-

Neptunus ſcopulis Ægæona vinxit acutis,
Naufraga quem vaſti verberat unda maris.
Porrectuſque jacet volucres paſſurus edaces,
Infernâ Tityus præda perennis aquâ.
Talibus exemplis ſubjectus dicitur orbis,
Et ſua majeſtas tuta fuiſſe Jovi.
Quid tamen iſta juvant? nova nos in tela rebelles
Surgimus, & cælo gens inimica ſumus.
Arma laceſſito furor infert cæcus Olympo,
Noſtra profanatos nec timet ira Deos.
Trita frequenſque via eſt, teſtes aſciſcere Divos
Criminis, & Superis perfida verba loqui.
Sub pedibus legeſq; jacent, Rectumque, Piumque:
Imperium, exactis legibus, ira tenet.
Hæc docet audaci perjuria dicere linguâ,
Hæc docet aſperſas ferre cruore manus.
Imperat illa faces alienis addere tectis,
Raptaque nocturno præmia ferre dolo.
Regibus hæc aconita parat, Bacchumque nocentem
Inficit, & gemmâ mixta venena natant.
Illa etiam natis contemnere juſſa parentum
Suaſit, & in fratres fratribus arma dedit.
Bella furor Thebana movet, primique parentes
Fleverunt viduæ funera prima domûs:
Cùm fratrem ante aras maxillâ crudus agreſti
Perculit, & vindex ivit ad aſtra cruor.
Iſta quidem noſtri primordia peſſima mundi,
Et nova privati bella fuêre laris.
Heu! quantum exemplum nocuit! diſcordia vires
Sumpſit, & heredes repperit atra ſuos.
Lite vir & conjux verbiſque procacibus ardent,
Inque odium pietas conjugialis abit.
Læſus amor fractis quærit divortia tædis;
Quàm cuperet ſocii vincla ſoluta tori!
Jurgia ſuccedunt: utinam quoque verbera ceſſent!
Quæque vetant clauſæ plura videre feræ.

Hic

Hic quod natali fratrem præcesserit uno,
Arguit, & verbis imperiosus agit.
Majori parêre minor negat : insonat omni
Pugna domo, & tardè conciliatur amor.
An furor Armeniis similis reperitur in antris?
Suspicor ingenium mitius esse feris.
Quæ rabies catulos sub eâdem rupe jacentes
Impulit in socias unguibus ire genas?
Cetera qui vastant deprædanturque leones,
Mutua concordi fœdera pace colunt.
Nos tamen, enixa est partu quos mater eodem,
Non pudet in proprium vertere tela genus.
Non scelerata pudet committere prælia dextris,
Et consanguineis cædibus ire truces.
At Solem puduit, dum currus vertit in ortum,
Noxque Thyesteas occulit alta dapes.
Quodque nefas ausa est tectis Philomela sub altis,
Devovet, & serò post sua fata gemit.
Quid privata cano? velis majoribus ire
Convenit : ecce parat Regius arma furor.
Odrysius sine lege furens, sine jure Tyrannus,
Perfida neglecto fœdere bella movet.
Jam vires Asiæ, & gaudentes sanguine Parthos,
Et Tanaim, & Nilum sub sua signa vocat.
Thurilegosque Arabes, & semiviros Nabathæos,
Quosque oriens populos Phœbus ab axe videt.
Dives equis divesque viris exercitus, & cui
Terra nequit numerum nostra referre parem.
Parcite Teutonicas timidi numerare cohortes,
Plus numero virtus consiliumque valet:
Magnanimique Duces, nervosaque milite forti
Agmina, Dux quorum quilibet esse potest.
Ille quidem Europam sibi subdere barbarus omnem
Ardet, & Austriacæ tollere sceptra domûs.
Ira præit, comitesque Nefas Fraudesq; sequuntur,
Sibilaque anguiferis longa dedêre comis.

Quà

Quà properat, mœſtis collucent omnia flammis,
Arvaque pro raſtris, ungula pulſat equi.
Enſe ſenes puerique cadunt, captiva juventus
Ducitur, ablatos ſerva catena premit.
Parthe quid exultas? cauſæ Deus ultor iniquæ
Imminet, & lævum Mars tuus omen habet.
Ecce laceſſitus juſtiſſima prælia Cæſar
Conſeret, & Superos ad pia bella trahet.
Parcite Dî, noſtroſque duces ſervate ſecundi.
Criminibus vacuas proſit habere manus.
Auguror: Eoæ flebunt ſua funera matres.
O quantâ furor hic clade piandus adeſt!
Inſonuêre tubæ: concurritur. Hei mihi quantâ
Clade gemit tellus! quis tonat ære fragor!
Sed tamen hinc aquilas video ſuperare minaces,
Inque Scythas belli grande reclinat onus.
En Bavarus Lotharuſque Duces hortatibus inſtant,
Inque acies pronas haſta Latina volat.
Agmina cæduntur fugientia, nec ſua Parthos
Tela, nec in telis ſparſa venena juvant.
Devehit Euxino ſubjecta cadavera ponto
Iſter, & infectis ire laborat aquis.
Scilicet Iſmarii virtus numeroſa Tyranni
Concidit, & pacem barbara terra rogat.
Bellaque jam damnat neglectaque fœdera ſerò,
Dignaque non unâ præmia clade tulit.
Quàm benè Dî magni meritis datis omnia juſtis!
Cauſa patrocinio noſtra potente ſtetit.
At vos præcipites in perfida bella Tyranni,
Nequidquam in vanas impulit ira minas.
Tot cæſæ Mavorte acies, populataque flammis
Arva, tot in ſubitos mœnia verſa rogos:
Tot deſolatis ſqualentia rura colonis,
Telaque & in timidas vincula jacta manus:
Omnia ſunt culpæ monumenta perennia veſtræ.
Tot ſcelerum facies ira cruenta parit.

Atque

Atque utinam Eois furor hic mansisset in oris!
  Cur tamen & nostris finibus arma sonant?
Parcite Christiadûm populi, gladiosque cruentos
  Ponite: sat nostri sanguinis ensis habet.
Quid fraterna juvat toties in bella coire?
  Ite per Euxini litora capta maris.
Ite per & fines Asiæ Solymæaque regna.
  Hîc pretium justi nobile martis erit,
Palmiferũ nemus, & Superis quoq; cognita tempe,
  Et juga cælestes quæ tetigêre pedes,
Et trepidus jam nunc turbato flumine Nilus,
  Quasque Oriens vobis abstulit orbis opes.
Dî faciant, armis cedant Byzantia nostris
  Mœnia, barbaricâ non benè capta manu.
Tuque favens Venetis Neptune triremibus adsis,
  Sentiat ut Latias Creta subacta rates.
Vana precor. Nostro gliscit discordia mundo,
  Et furor ex omni prælia parte movet.
Hinc tonat impulsis iratum classibus æquor,
  Puppibus illisis saxa Britanna sonant.
Mille rates coëunt & rostris rostra lacessunt,
  Decolor & fessis Nereüs errat aquis.
Quæque olim celeri fidebat currere remo
  Gallia, jam ponto maxima vela parat.
Parte aliâ torvi quatiuntur cornua Rheni,
  Accipit & dominos utraque ripa novos.
Nec Latiis Martem licuit vitare colonis,
  Iraque trans Alpes agmina celsa movet.
Sæpè Pyrenæi rubuerunt sanguine montes,
  Nostraque vix pacem Belgica novit humus.
Nulli tuta quies. Cruor undique, & undiq; cædes:
  Diminuunt vires mutua regna suas.
Quò tamen hic belli fervor? quid quæritur armis?
  Jugera nempe soli paucula victor habet.
Hoc pretium pugnæ. Valeant ensesque tubæque:
  Pax mihi, non amplo limite, tuta placet.

Non

Non ego ſum quem bella juvent, me propter Ibêrus
  Prælia cum Gallo milite nulla geret.
Dives ero, nido modò ne ſubducta recenti
  Ova mihi deſint, micaque pura ſalis.
Quemque priùs duxit ſalientem linea piſcem,
  Ille mihi prædâ divite major erit.
Felices quibus iſta licent! ſed ſcilicet ira
  Invidet, & Belgas non abitura premit.
Ut redeat pax alma tamen mœſtoſque reviſat,
  Miles & emeritum ſublevet enſe latus:
Non ideò totis fugiet regionibus ira.
  Hæc etiam mediâ prælia pace movet.
Quid referam fractos civili turbine faſces,
  Raptaque per longas membra cruenta vias?
Seditio ut populos in bella domeſtica movit:
  Hoc Thebe, hoc periit Martia Roma modo.
Cæſaris aſperſit fuſus capitolia ſanguis.
  Quis credat? Bruto vulnus ab hoſte tulit.
Tullius ille potens quondam, cervice reciſâ
  Nunc jacet: hæc linguæ præmia Conſul habet.
Prô pudor! ex illis figuntur pallida roſtris
  Ora, quibus trepidos juverat antè reos.
Nec Batavis deſunt exempla recentia terris,
  Tractaque perque vias funera, perque domos.
Hunc furor infixo rapuit crudeliter hamo:
  Illum ſaxa citâ grandine plura petunt.
Scuta foro gladiique ſonant. Subit atria victrix
  Turba: per ardentes effugit ille manus.
Exoritur clamor facibus per inania jactis,
  Conſulis & priſcæ diripiuntur opes,
Et nihil intactum violenta licentia plebis
  Præterit: immenſum eſt ſingula velle queri.
Quid memorem aſſiduas, quibus ardet curia, lites,
  Ortaque civili jurgia rauca foro?
Cum nequeas ferro, nequeas ſævire veneno,
  Certiùs injuſtâ lite nocere potes.

Hinc empti pretio teſtes, perjuria, fraudes,
  Quique volant circùm publica tecta doli.
Scilicet & falſi damnatur criminis inſons,
  Damnaque fert famæ non abolenda ſuæ.
Adde graves calami ſumptus, inopeſque nepotes,
  Debitaque exhauſtæ non reparanda domûs.
Lis patrias conſumit opes, lis prodigit aurum,
  Arcaque ſub lento judice tota perit.
Quóque magis mirere, uno de ceſpite rixam
  Inter finitimos ira ſuborta movet.
Nec mora, cauſidico ſcribente volumina creſcunt,
  Vindicat & nummos pagina quæque ſuos.
Conſpirant animis certi non cedere, donec
  Hauriat immenſas Curia dives opes.
Non mihi ſi miſſæ veniant Helicone puellæ,
  Pegaſeæque ſacro fonte bibantur aquæ:
Totaque ſic facilis ſubeat præcordia Phœbus,
  Verſibus ut cedat Græcia priſca meis:
Damna ſatis cæci valeam memorare furoris.
  Materiâ vires uberiore cadent.
Confer in Iönio naſcentes æquore piſces,
  Confer in Aſcræis gramina nata jugis,
Adde vagos fluctus: numero vincentur, & iræ
  Fertilior damnis noxia meſſis erit.
Herculeis cecidit peſtis Lernæa ſagittis,
  Quamvis vulneribus creſceret illa ſuis.
Hæc nova millenis cervicibus Hydra renaſcens
  Pullulat. Alciden da mihi: victus erit.
Ne tamen ex omni lateat vos parte venenum,
  Indicio muſæ nota ſit ira meæ.
Noſcere nunc labor eſt, pòſt debellabimus hoſtem:
  Si modò promiſſam Delius addat opem.
Vos quoque qui ſævæ petitis ſolamina peſtis,
  Antè decet tanti diſcere damna mali.
Parte patent aliquâ; totis in viſcera cultris
  Ibimus: hùc oculos vertite quiſque ſuos.

Ira per obstantes rumpit nocitura propinquos,
  Consiliumque odio vera monentis habet.
Nec refert geminæ suasurus fœdera parti,
  Sollicitus pacis conciliator eas.
Vidi ego pugnantes stricto concurrere ferro:
  Nullus & in populo qui prohiberet, erat.
Scilicet in medios qui se projecerit enses,
  Mutua dum prohibet vulnera, læsus abit.
Utque agitur cæco pulsâ ratione tumultu,
  Omnibus obscuras injicit ira manus.
Cambyses Syriis uncas præcidere nares
  Jusserat, atque imis tollere labra genis.
Grande nefas! tamen in captos ita sæviit hostes.
  Pòst ferus ipse suis non minor hostis erat.
Æthiopum populi tumido parere Tyranno,
  Jussaque longinqui ferre tributa negant.
Hos procùl à Persis Indus submoverat amnis,
  Tutaque ab ingenio gens erat illa loci.
Cambyses fremit impatiens, amensque repulsâ
  Æthiopes subito perdere marte parat.
Jamque ingens nigros exercitus ibat ad Indos,
  Quò tulerat vires Persia tota suas.
Quò ruis imprudens? regio caret illa colonis.
  Quà properas, densis montibus aret humus.
Non Cereris vitisve ferax, non gramina tellus
  Ulla, nec errantes parca ministrat aquas.
Parce sine annonâ temeraria bella movere.
  Utilior votis proxima messis erit.
Differ opus, mora sæpè juvat. Declivior annus
  Contrahit, autumno jam properante, dies.
Per tamen arentes exercitus ivit arenas.
  Præbebant inopes pabula rara viæ.
Prima fames frondes virgultaque mollia quærit.
  Qui poterat ficum carpere, dives erat.
Carduus urticæque graves, tribulique, rubique
  Et coria ignoto mollia facta lacu:

Ultima poſt glandes miſeris alimenta fuerunt;
Pellebant avidam putria ſtagna ſitim.
Pars letho cecidêre: fugæ pars terga dederunt.
His quoque vix macies oſſa peruſta tegit.
Funera moviſſent alios cladeſque ſuorum:
Rex tamen incultis montibus urget iter.
Sortirique ferus mandat, decimumque necari.
Impia fatales accipit urna notas.
Sortibus eductis, cecidit pars icta ſecuri:
Vitam pars, comitum morte, ſuperſtes alit.
Quis non has epulas voluit poſtponere fato?
Hei mihi! quam multis vota fuêre mori!
Inſtat adhùc cœptis laniatâ parte ſuorum,
Dirus, inhumanis barbariorque lupis.
Sed timuit ne ſorte datâ traheretur ad urnam.
Hoc rabies uno victa timore fuit.
At vos, quid furiæ valeant, hinc diſcere cautos
Convenit: alterius dulce valere malo eſt.
Hoſtibus elapſis, in proxima vertitur acer
Impetus, atque omni parte timendus adeſt.
Scilicet ut nullo diſcrimine fulmina lædunt,
Ut feriunt flammis obvia quæque ſuis.
Utque trahunt magnæ nimium vicina ruinæ,
Læſaque pars damnum proximitate tulit:
Sic procùl ire juvat, ſic devitare furentes
Convenit: exitio turba propinqua luet.
Annæum juveni conjunxerat aula Neroni.
Illius hic Princeps: ille magiſter erat.
Uſus amicitiæ magnus; Senecamque docentem
Audiit, hinc mores compoſuitque ſuos.
Atque utinam ſeros probitas manſiſſet in annos!
At mala principiis obſtitit ira bonis.
Illa peregrinas Annæum miſit in oras.
Hunc procùl à Latio Corſica cepit humus.
Quid tibi nunc virtus præceptaque mitia proſunt?
Iram quid domitam legibus eſſe tuis?

Quid

Quid laudata juvat clementia? pelleris exul.
Officio merces redditur illa tuo.
Sed tamen exilio gaude, neque respice Romam.
Eheu! quàm multum sanguinis illa bibet.
Proximus ut quisque est, ita Cæsaris ociùs armis
Occidet, atque iræ victima prima cadet.
Te quoque, si redeas, lictoris sica cruenti,
Balneaque humano plena cruore manent.
Quin etiam, ut fama est, maternâ cæde Tyrannus
Haud timuit diras commaculare manus.
Scrutatusque uterum, spirantibus ausus in extis
Quærere, delituit quo puer antè, locum.
I nunc, aude aliquem meritis sperare favorem,
Teque piis tutum moribus esse puta.
Quid potuit nato conjunctius esse parente?
Et tamen à nato vulnera mater habet.
Scilicet arma magis quam fœdera novit, & ira
Ipsa patrocinii jura caduca facit.
Nomina Amicitiæ, Fidei, Pietatis, Amoris,
Barbara sunt: nec quo se tueantur, habent.
Creditur hoc etiam? post fata cruenta suorum,
Ipse suum rupit barbarus ense latus.
Hoc est quod Superi contorquent denique fulmen.
Hîc Jovis, Enceladus, vindicis igne jacet.
Istos justa petit cœlo victore Gigantes
Pœna, nec auctores deserit ira suos.
Fulmina sunt, cæcâ pressi caligine sensus:
Fulmina sunt, furiis mens agitata novis.
Fulmina sunt, actum propria in præcordia ferrum.
Hos furor eventus sanguinolentus habet.
Vindice, crede mihi, raro caruêre furentes,
Casus & aut illis, aut Deus ultor adest.
Finge tamen nullo pœnæ terrore teneri,
Iraque securum præstet ab hoste latus.
Vindicibus careat furor, & dominetur inultus:
Te timeant cuncti: nullus ad arma vocet.

Quàm tamen hoc miserum est, Pœnorũ more leõ-
Vivere, nec vacuas cædis habere manus? (num
Volvere terribiles oculos, semperque minari
Prælia: sollicitis omnibus ire trucem:
Fœdus amicitiæ violare, odisse propinquos,
Mitia non aliquo tempore verba loqui?
Vindicta, exilium, cædes, tormenta, catenæ,
Occurrunt animo nocte dieque tuo.
Quàcumque ire paras, tacito te devovet ore,
Et fugit ut rabidi vulgus ab ore lupi.
Sive lares petis ipse tuos; timuêre propinqui;
Sive forum; trepidi muta figura fori est.
Curia te refugit tumidum, sociusque senator
Festinat lateri cautus abesse tuo.
Omnibus exosus fastiditusque recedis,
Atque hilares mortis spes facit una tuæ.
Hæc facies rerum exterior. Crudelior intùs
Hostis adest, animæ pax violata tuæ,
Terroresque, fugæque, & somnia plena tumultu,
Et semper pavidi corde micante metus.
Sivè cibos caperet Siculus conviva Tyrannus;
Horruit appositis mixta venena cibis.
Seu peteret ludos, circum fulgentibus armis
Stipabat timidum densa corona latus.
Omnia pertimuit: barbam, tonsore remoto,
Quis credat natas subsecuisse patri?
Hæc comes it trucibus justissima pœna Tyrannis,
Ut timeant jugulo tela parata suo.
Ipse sibi est animus tortor; sincera voluptas
Exulat, & nusquam candida tota venit.
Qui nocuit reliquis, qui fœdera sanguine rupit,
Cogitur exemplis anxius esse suis.
Cur lupus & sævi condunt se montibus ursi,
Audet in humanos agna venire sinus?
Nempe quod hæc mitis, noceant mortalibus illi,
Hæc sit pacis amans, hi fera bella gerant.
Respi-

Reſpice pallentem fraterna cæde Cainum,
  Ut procùl à patrio cogitur ire lare!
Quò ſcelerate fugis? quò devius orbe vagaris?
  Non poteris furias effugere ipſe tuas.
Te licet occulto tellus tegat ima receſſu:
  Hoſtis qui timidum terreat, intùs erit.
Cetera prætereo nocituri damna furoris,
  Ingenio lector concipe plura meo.
Adjice, quæ proprio doluiſti doctus ab uſu.
  Quiſque ſibi teſtis candidus eſſe ſolet.
Quò meliùs morbos animi perſpexeris ægri,
  Fortior hòc priſci vulneris ultor eris.



DE IRA LIBER III.

Remedium iræ.

SEmina cum caufis, & damna fecuta furorem,
  Materies numeris bina fuêre meis.
Jam medicina juvet, jam vulnera tollere tempus;
  Jam melior partes Mufa medentis age.
Si potuit vetiti quondam Præceptor amoris,
  Quod cecinit, serò velle periffet opus:
Quofque Cupidineis malè fparferat artibus ignes,
  Utiliter fufis obruit auctor aquis:
Cur ego non alios tentem fuperare furores?
  An minùs Idaliis ignibus Ira nocet?
Illa tamen monftris caput altiùs omnibus effert,
  Illa ferox noftro fanguine bella gerit:
Cumque pigro ferpant contagia cetera morbo,
  Emicat, & nullas fert violenta moras.
Pugna gravis fupereft. Procùl hinc difcedite iner-
  Hoftibus à magnis gloria magna venit. (tes.
Jam litui fonuêre: vocor ducturus in hoftem
  Agmina. Quifquis ades, corripe tela manu.
Ecce fubit ftygiis egreffa paludibus ardens
  Bellua, vipereas Ira foluta comas.
Neve parùm poffis cognofcere, refpice vultum:
  Dimidium palmæ, cognitus hoftis, erit.
Quò fugis? Haud animum timeas firmare tuendo.
  Tota fub afpectus Ira vocanda tuos.
Igne micant oculi, turgent fuffufa veneno
  Pectora, mugitu guttur & ora fonant.
Spuma cavos, faniefque pererrat candida rictus,
  Formaque nefcio quid grande minantis habet.
Huic comes it focio properans Infania paffu,
  Et regit incertæ fola fororis iter.
Subfequitur Vindicta, necefque & vulnera fpirans
  Evomit in Superos impia verba Deos.

Hanc

Hanc circùm volitant Furiæ, quas torva flagello
 Increpat, & ſtimulis Ira valere facit.
Capta ſubit Ratio manibus poſt terga retortis,
 Et trahitur ſciſſis Pax violata comis.
Læſaque Amicitia & contemptis legibus Æquum,
 Et Decor, & durâ compede vincta Fides.
Ecce velut torrens pluvialibus auctus ab Hœdis,
 Devia, nec certis finibus Ira ruit.
Quà properat, proſternit agros & gramina vellit,
 Ultricique ferit ſtantia ſaxa manu.
Non, ſtimulante fame, ſic infremuêre leones,
 Antraque præcipiti deſeruêre fugâ:
Nec ſic, quem telo vexat gladiator Ibero,
 Taurus ab excuſſâ cornua jactat humo:
Ut fremit & trepidis regionibus Ira minatur,
 Longaque ſubmoto fœdere bella movet.
Prima fuit rabidum cognoſcere cura furorem;
 Proxima, quâ monſtrum parte dometur, erit.
Si quid opis montes, ſi quid Parnaſſia tempe,
 Si quid habent citharæ Phœbe canore tuæ:
Graminaque Aonidum rorantibus uda ſub antris,
 Pegaſeæque fugax vena ſalubris aquæ:
Omnia nunc vires ad opem conjungite veſtras.
 Non tenui magnum vincitur arte malum.
Et tibi ſunt arcus, & ſunt tibi Phœbe ſagittæ,
 Iönio conſtat quas valuiſſe mari.
Pythius & ſpiris nequiit vitare pharetram
 Anguis, & hæc dextræ gloria prima fuit.
Adjice præteritæ monumenta recentia laudi,
 Hæc nova præſidio bella gerenda tuo.
Delphica victoris prætexam templa coronâ,
 Addet & ad feſtos hunc quoque Muſa diem.
Hæc ego: ſtridorem viſa eſt levis aura dediſſe.
 Antè oculos Phœbus (non ego fallor) erat.
Non tamen ex humeris habilem ſuſpenderat arcũ,
 Tela quoque in vacuâ nulla fuêre manu.

Sed

Sed citharam arridens digitis aptabat eburnam,
Atque ait; auſpiciis concidet Ira meis.
Illa tamen nullis madefiet ſaucia telis,
Nec feret optatam nervus & arcus opem.
Cantus opem feret hanc, citharæq̃; potentior ictus,
Quam pharetræ longè tela vibrantis erit.
Sit truculenta licet fetâque ferocior Hydrâ,
Scilicet obſequio carminis Ira cadet.
Æripedes olim domuerunt carmina tauros,
Hoſpes ut auratæ vellera vexit ovis.
Non erat aut galeâ, aut clypeo ſat tutus Iaſon,
Sat tamen Æſonides carmine tutus erat.
Carmine ſopivit vigilem Medea Draconem,
Qui poterat ſquamis vertere tela ſuis.
Diſce novi vates operis, ſine vulneris ictu,
Iram Pieriâ perdomuiſſe lyrâ.
Non ego te Hæmoniæ contundere noxia terræ
Gramina, non jubeo Phaſidos arva ſequi.
Nulla veneficiis ponetur inanibus Ira,
Innocui Phœbus carminis auctor adeſt.
Dixerat: Aonio leviter mea tempora ramo
Contigit, & celeri ceſſit in aſtra viâ.
At mihi divinus circùm calor oſſa cucurrit,
Nec mora, terrenum pectore ceſſit onus.
Ergò age quiſquis ades, veteris quem pœnitet iræ,
Qui cuperes turpi liber abire jugo:
Quem deſiderium pulcræ tenet acre ſalutis,
Votaque non omni languida parte jacent:
Ne pereas, peſtiſque malo dominante perennet,
Accipe præceptis commoda certa meis.
Opprime, dum nova ſunt, vivacis ſulphura flammæ.
Maxima ſunt tardæ damna futura moræ.
Vidi ego ſuccenſis affundi flumina tectis:
Flamma recens modicâ victa dehiſcit aquâ.
Exiguo de fonte patens enaſcitur amnis,
Virgaque, non longo tempore, robur habet.
Cre-

Credere quis poſſit quercum de ſemine jacto
Surgere, quis Nilum fonte venire putet?
Et tamen hæc latos jam porrigit æthere ramos,
Ille fluit ſeptem conſpiciendus aquis.
Utque novum veteri meliùs ſanabile vulnus,
Sic Iræ melior cura recentis erit.
Omnia principiis minimo curantur: at hora
Longior, eſt vitiis vulneribuſque gravis.
Pectora cum primo fuerint agitata furore,
Si ſapis, haud celerem ferre moreris opem.
Excutis intactâ nocituram veſte favillam:
An minor eſt animi cura futura tibi?
Ah! miſer ignoras in quanta incendia creſcat,
Obruta ni primis motibus Ira cadit.
Virus ab exiguo paulatim in viſcera morſu
Serpit, & exitium læſa medulla trahit.
Prima ſit infirmos igitur ſuperare furores
Cura, novus quiſquis miles ad arma venis.
Cum benè pacati ceciderunt pectoris æſtus,
Effice ne fragili ſtet tibi palma loco.
Ne repetat pugnam, victus modò, fortior hoſtis;
Militiæ faciet dexterioris opus.
Admonitu redit ira levi: ſi ſulphure tangis,
Vivet: habet flammæ ſemina certa cinis.
Tu cave, quæ primùm læſerunt, mente revolvas,
Immeritum nec te multa tuliſſe putes.
Nec tibi diffidii cauſas, tempuſque, locumque,
Nec tibi quæ fuerint verba modumque refer.
Mens aliò vertenda nocens. Quid imagine gaudes?
Tranſit in affectus iſta figura malos.
Nec tibi ſit mores, nec ſit tibi facta notare
Alterius, qui te læſerit antè, labor.
Vera tibi ut referas, plus falſis vera nocebunt:
Alterius culpa eſt cauſa futura tuæ.
Non comites audi rarò meliora monentes,
Vix aliquis partes conciliantis aget.

Non tu consilii prætexas jura petendi;
  Has malè per rimas callida flamma subit.
Omnia lethæo sunt perfundenda liquore :
  Palmam, qui poterit non memor esse, feret.
Atque ut plena tuis maneat victoria castris,
  Tutus & ex omni parte triumphus eat :
Ne pigeat propriis oculos advertere factis;
  Eripiat totos hæc tibi cura dies.
Tu tibi sis judex, in te tibi collige testes,
  Teque reum, quamvis non eris, esse puta.
Si benè te damnas, si causam litis obortæ
  In tua convertis crimina, salvus eris.
Et juvat ætatem deducere carmen in omnem,
  Sentiat ut medicæ quilibet artis opem.
Debita præcipuè est annis vigilantia primis,
  Ut pater officii sit memor usquè sui.
Sedulus exploret mentes, fingatque tenellas,
  Radicisque malæ germina prima secet.
Parvus, & in cunis, vicit Tyrinthius angues :
  Quis credat teneras hoc valuisse manus?
Pòst tamen & fulvos fertur superasse leones,
  Atque humeris cœlum grande pependit onus.
Mollibus ex annis spes est censenda futuri.
  Nobile depositum cura parentis habet.
Moribus invigilet pueri pater, & bona nutrix,
  Venturique doment semen inerme mali.
Sæpè animos juvat imperio tentare paterno,
  Interdum & studio, quæ rogat ille, nega.
Pœnaque nascentes iras moderata sequatur.
  Deficiet curâ prima favilla tuâ.
Cura rudes virgas recto consurgere trunco,
  Spemque bonæ dominum messis habere facit :
Vitibus & steriles detondet cura racemos.
  Luxuriat brevibus pleniùs uva comis.
Cura facit dominis catulos parere leonum.
  Difficilè est canis jussa dedisse lupis.

Si

Si tamen antiqui valuerunt semina morbi,
Et furor in capto pectore regna tenet:
Non ego te, quamvis valido certabitur hosti,
Immemorem palmæ ponere tela velim.
Desperare nefas. Timidis victoria numquam
Risit, & ignavas effugit illa manus.
Dum favet, & nulli turbant præcordia motus,
Dum tibi tranquillæ tempora pacis eunt:
Collige venturæ medicamina providus iræ.
Me duce, non ullum tempus abibit iners.
Optima prævertit morbum medicina futurum.
Anticipa: tardam quis roget æger opem?
Præcipuè cum liber eris curisque solutus,
Queis ferias hostem, sedulus arma para.
Quæris ubi invenias? Plutarchi perlege libros,
Nec tibi sit Senecam consuluisse labor.
Cautus eris lectis milesque paratior illis:
Hi tibi quod fugias, quodque sequare, dabunt.
Quis vetet & nostros vacuum legisse libellos?
Forsan & hîc aliquid quod juvet, esse potest.
Tu cùm sanus eris, menti modò singula sanæ
Insere: præsidium, cùm subit ira, dabunt.
Improvisa magis feriunt mala: mensque periclo
Anxia præsenti est, consiliumque fugit.
Cùm furor invasit, serò præcepta petentur
Mitia; quod faceres, antè docendus eras.
Te nunc ira rudem, te nunc deprendet inermem,
Vulneribusque tuis pectora nuda dabis.
Ecquis equo, volucri quando ruit ocior aurâ,
Vincula tum primùm frenaque sera paret?
Tunc decuit, cùm mitis erat; cùm carcere clausus
Præbebat facili colla premenda manu.
Nunc vagus effreno fertur per devia saltu,
Nec pondus domini verba monentis habent.
Ecce premit muros densis exercitus armis,
Obsidet & clausum pervigil hostis iter:

Stul-

Stulte quid annonam medios inferre per hostes,
Præsidiumque tibi lentus & arma paras?
Pacis opus fuit hoc. Quid inertia tempora damnas?
Tradentur ducibus mœnia victa novis.
Tu quoque venturæ victor domineris ut iræ,
In promptu galeam scutaque miles habe.
Tu quoq;frena para:frenis fera monstra domantur.
Principium cladis libera colla dabunt.
Pessima libertas animis, ut pessima ponto:
Utraque res vinclis impedienda suis.
Provida litoribus natura coërcuit æquor.
Litora si desint, omnia pontus erunt.
Deucalioneæ testantur tempora Pyrrhæ:
Terra superfusis nulla patebat aquis.
Mens pelago similis: res utraque plena procellis:
Et suus est animis, & suus æstus aquis.
Litora quid dubitas rapidæ circumdare menti?
Injice veloci vincula sessor equo.
Et tamen ut mentes variant, variabimus artem:
Non quæcumque tibi vincla, sed apta para.
Frena quidem Phaëton, sed non tamē apta tenebat:
Eöis cecidit non minùs ille rotis.
Quæ medicina juvat reliquos, tibi sumpta nocebit.
Noscenda est morbi vis & origo tui.
Nota tibi sensim tua sint mala: seu tibi fastus,
Seu stimulos iræ subdere vina solent.
Sive dolor, minimique nocent incommoda morbi,
Curave difficilem non moderata facit.
Seu te libertas linguæ fandique cupido
Abripit, & pacis jura fovere vetat.
Sive cupis sapiens aliis prudensque videri,
Debeat ut sensus quisque probare tuos.
Exploranda mali sunt semina. Tum tibi leges
Scribere, tum menti ponere jura decet.
Ebrietas nocuit? facito convivia vites.
Dissidium peperit lubrica lingua? sile.

Da requiem curis, si sis morosus ab illis:
  Da ludo, si quæ crimina ludus habet.
Deniq; quodcumq; est animũ quod læserit ægrum,
  Hâc miser, ut valeas, parte juvandus eris.
Utque solent medici, vitiis contraria quære
  Pharmaca: non ægros quælibet herba juvat.
Fortè movet bilem facilis tibi causa, frequensque,
  Speratæque procùl meta salutis abest?
Singula diversis adhibe medicamina causis.
  Temporibus tamen hæc sunt adhibenda suis.
Pauca, sed è multis aptissima selige, nec te
  Propositis onera, ne grave sidat onus.
Non benè cum turba luctaberis: impete victor
  Singula; vis junctis fortior esse solet.
Impetus ille nocet subitò sanare volentis
  Omnia: per partes cura medentis eat.
Cura laborque probi tibi sunt imitanda coloni,
  Cui fuerant empti jugera multa soli.
Illi vomeribus durisque ligonibus aptus
  Filius, & glebas vertere doctus erat.
Huic pater arva rudis terræ proscindere mandat,
  Et lolium & steriles tollere falce rubos.
Ivit ut excoleret squalentes sentibus agros,
  Parsque lacertosi cœpta laboris erat.
Postque moræ spaitum dum circùm lumina flectit,
  Atque oculis lustrat jugera vasta suis,
Substitit, ut longo porrectum limite campum
  Vidit, & in dura sedit inanis humo.
Atque ita, quis tantum speret tolerare laborem?
  Dixit: in immensum terra colenda patet.
Obruerant animos operis molimina magni,
  Et labor aspectu terruit ipse suo.
Fortè parens illùc studio nova rura videndi
  Venerat, & nati rura colentis opus.
Ut vacuum sedisse videt, quæ causa quietem
  Suadeat, & cur sint otia tanta rogat.

Filius

Filius immenſi cauſatur jugera campi,
  Utque ſuis impar viribus eſſet onus.
Riſit, & hùc oculos referas ſtolidiſſime, dixit:
  En erit hæc operis meta diurna tui.
Et prudens diviſit onus, partemque colendam
  Falcibus exiguam vomeribuſque dedit.
Tu quoque paulatim ſævæ contagia peſtis
  Opprime, ſat curæ pars erit una tuæ.
Singula cùm poſſis, fruſtrà ſimul omnia ſperas
  Vincere, conantem debilitabit onus.
Aſpice dum validos cingunt hoſtilia muros
  Agmina, non omni machina parte tonat.
Omnia cùm ſperet munimina vincere miles,
  Arcis ad exiguum fulminat ille latus.
Non erat Alcides primo qui perderet Hydram
  Vulnere, per partes occidit illa ſuas.
Nec tibi momento referet victoria laurum.
  Difficiles partus gloria ſemper habet.
Tu de propoſitis partem tibi ſelige multis,
  Conveniatque humeris ſarcina juſta tuis.
Proximus huic labor eſt, tibi quæ ſatis apta putabis,
  Singula ab eventu velle probare ſuo.
Crede mihi, faciet non ſola ſcientia ſanum.
  Scire licet multis : qui facit, ille valet.
Plus tibi dat longis brevis experientia votis.
  Hæc juvat, inque animos altiùs ire ſolet.
Certiùs ille minas & ſaxa latentia ponti
  Vitat, qui dubiâ ſæpè cucurrit aquâ.
Ille valet multo bellorum interritus uſu
  Miles, ſub galeâ quem ſenuiſſe vides.
Segnities ſuperanda tibi eſt. Jam proſilit hoſtis;
  Scuta cape, & validâ tela repelle manu.
Scilicet hærebis primos ad pectoris æſtus,
  Et cupies animo poſſe favere tuo.
Et tibi vindictæ ſuccurrent mille figuræ,
  Et freni impatiens, pacis & oſor eris.

At

At nisi præceptis accesserit usus honestis,
Utilius fuerat nîl didicisse tibi.
Turpiùs ille cadit, qui, cùm divertere possit,
Saxa suum prudens lædit ad icta pedem.
Æger es, & morbi præsens medicina paratur,
Quôque malum possis tollere, succus adest.
Quid tibi profuerit lecto vicina reponi
Pocula, quæ trepido languidus ore fugis?
Ut valeas, timor hic succi ponendus amari.
Incipe: erit totus vincere prima labor.
Aspicis ut solvunt patrio de litore classem,
Omnis in officio nautica turba suo est.
Carbasa pars tollunt, pars pendula funibus errant:
Hic celer obliqui summa rudentis adit.
Portubus egressi nautæ per transtra quiescunt.
Quod superest: navem ventus & unda feret.
Principiis labor omnis inest. Enitere clivo
Culminis exigui: cetera prona via est.
Ergo ubi trux animus veteres meditabitur iras,
Incipe propositis addere facta tuis.
Viribus hîc opus est, hîc ô fortissime certa:
Difficilis parvæ pugna futura moræ.
Mox tibi prætendet victoria læta coronam,
Inque tuum venient laurea serta caput.
Et juvat exemplis animum stimulare priorum,
Iræ qui dominos imposuêre pedes.
Respice Socraticæ monumenta perennia vitæ:
His tibi de tenebris pars quoque lucis adest.
Nulla cui in toto fuerant commercia cœlo,
Nec satis ætherea notus ab arce Deus:
Dicitur ille tamen, quoties præsenserat iram,
Verba levi solitus fracta referre sono.
Dicitur & pressis gestus breviasse lacertis,
Et modico passus corripuisse gradu.
Lumina quin etiam blando ridentia vultu,
Oraque compositæ simplicitatis erant.

Ipſe Decor placidâ ſenſus ſtatione tenebat,
Ipſe Decor pulcro membra coacta ſitu.
Artibus his primo cecidit furor irritus ortu.
Artibus his victor quilibet eſſe poteſt.
Scilicet emoritur, cui non datur exitus, ignis,
Flammaque, concluſo carcere, prima perit.
Non tamen his ſemper monitis confidere tutum eſt.
Sæpè habet eventus ira repreſſa malos.
Ipſe vides magnos agitari ſulphure montes,
Et validas turres flamma ſepulta movet.
Si minor eſt; conclude, perit: ſi maximus ignis;
Liber ab effracto carcere victor abit.
Ipſe levem poteris pariter ſuperare furorem,
Vincere & invalidi ſemina prima mali.
Acrior exarſit ſolitò, atque exæſtuat intùs?
Ille furor verbis emoderandus erit.
Non ſolet à magno ſubitò ſubſidere vento
Fluctus; erit poſitâ lenior ille morâ.
Ergò ubi deprendes totis ardere medullis
Pectora, da morbo tempora parva tuo.
Tempore commotæ vis frangitur orta procellæ,
Siſtitur indomiti tempore curſus equi.
Tempore quis neſcit ſævas miteſcere tigres,
Et juga paulatim ferre moleſta boves?
Tempore te requiem jubeo ſperare furoris:
Maxima per vires concidet ira ſuas.
Hæc etiam eſt artis non cura noviſſima noſtræ,
Ne celer ad pœnas, quas dabit alter, eas.
Lentus ab offensâ crimen punire memento.
Vindictæ ſpatium, cùm ſubit ira, dabis.
Nam ferulâ vultuque minax, & more furentis,
Alterius culpæ turpiter ultor eris.
Utilitas factum ſuadet memorare Platonis,
Cujus ab ingenio Græcia nomen habet.
Percuſſurus erat famuli data terga merentis,
Suſtuleratque avidâ lora parata manu:
Sub-

Subſtitit, ut ſenſit motas violentiùs iras,
  Formaque ceu domini percutientis erat.
Dum reus expectat pœnas vindexque minatur;
  Dum mora fit : vires fregerat ira ſuas.
O! quantum ulturo nocet indulgere furori?
  Crede mihi, vindex non moderatus eris.
Creſcit, & egreditur fines properata decori,
  Iraque ſupplicii neſcit habere modum.
Exiguum eſt quod amice rogo. Non ſumere pœnas
  Te veto : quid modici temporis hora nocet?
Differ opus : lentè properat vindicta Deorum,
  Nec veniunt celeri fulmina miſſa manu.
Æquior ad pœnam, judexque paratior ibis,
  Pectora cùm cæco tota furore vacant.
Grande moræ pretium : juſtâ pendentia lance
  Crimina ſupplicium, quod meruêre, ferent.
Offenſæ tamen interdum vindicta negetur.
  Sæpè rei culpam diſſimulaſſe juvat.
Sæpiùs & veniam facilis concede roganti.
  Tunc quoque concedes, cum rogat ille nihil.
Utque malus perſtet, pergatque laceſſere dictis,
  Tu tamen excuſans mollia verba dabis.
Ardua res, fateor, verbis quoque mitibus uti:
  Forſitan hinc artes corripieſque meas.
Si ſapies, ſint dura licet, præcepta ſequeris.
  Ferre ſolet certam potus amarus opem.
Lacte leves morbi & ſucco meliore juvantur,
  Vulnus & exiguum faſcia mollis obit.
At quoties imæ vitium traxêre medullæ,
  Ut valeas, ferri durior uſus aget.
Saucius & ſectis patieris partibus ignem,
  Et medici duras eſſe querere manus.
At tibi, quicumque es, dominæ qui ſubditus iræ
  Servis, & longi temporis æger ades:
Non tua ſunt tenui leviter percuſſa ſagittâ
  Pectora; deſcendit vulnus ad oſſa tuum.

Cura gravis supereſt. Phœbo parete medenti,
Tolletur medicâ carminis arte malum.
Carmine Jeſſides Regem placaſſe furentem
Dicitur, & cantu demeruiſſe ſuo.
Suſtulerat validis quatiendam viribus haſtam.
Ut canit, oblitâ decidit haſta manu.
Ergo ubi læſus eris, ne te malus auferat ardor,
Et cita vindictam concitet ira, cave.
Vel tu diſſimula, ſi clàm peccaverit alter;
Vel pius ignoſcas crimina facta palàm.
Nîl tibi decedet; facto laudaberis iſto.
Accedet famæ gloria magna tuæ.
Maſcula vis animi ſurgentes tuta procellas
Audit; & ignavum, parcere nolle, putat.
Imperturbatæ felix conſtantia mentis
A Superis, Divûm munere, miſſa venit.
Forſitan hoc curas ne prava licentia creſcat?
Ne capiat vires libera culpa novas?
Scilicet errores fovet indulgentia: nec te
Vindictæ ſtudium, ſed bonus ardor agit.
Hæc cave ne ſpecies & amor te fallat honeſti.
Virtutis vitium ſæpè colore venit.
Celat avaritiam, qui prodigus eſſe veretur:
Fit petulans, ſi quis ruſticus eſſe timet.
A vitio tenui diſtat diſcrimine virtus.
Fallit, & arbitrio res eget illa gravi.
Dic mihi, quid ſolers aliena pericula curas?
Ad tua ſollicitas vulnera verte manus.
Cùm tibi parta ſalus, cùm te curaveris ipſe,
Alterius tutò cauſa ſalutis eris.
Nunc tibi, quod vincas in te, convitia præſtant.
Materies palmæ culpa aliena tuæ eſt.
Ni facis, iſta tuæ velamina callidus iræ
Addis, & ad flammam pabula cæca paras.
Et poteris valida mentem ratione tueri:
Calliope cæcum non tibi monſtrat iter.

Tu modò quas artes Musæ, quas dictat Apollo,
Ne sine veliferos per freta ferre Notos.
Vel senior, vel par, annisve minoribus impar
Hic, aliquo qui te crimine lædit, erit.
Si minor est, major congressus sperne minores,
Victaque contemptu turba sit ima tuo.
Jupiter & turres, & montes percutit altos;
Prætereunt humiles fulmina celsa casas.
Aspice nobilium certamina lenta leonum,
Detrectant magnæ bella minora feræ.
Securas venit acris equi latratus ad aures,
Ungulaque immissos non ferit unca canes.
His licet exemplis convitia vana minorum
Spernere : te gravitas, quæ tueatur, erit.
Parcere nec dubita senior juvenilibus annis:
Ætatis memorem te decet esse tuæ.
Turpè senem verbis contendere : parce moveri:
Non levitas canis convenit illa tuis.
Si matura tamen juvenem te corripit ætas,
Perfer : habent anni jura minora tui.
Seu meritis annisque pares ad bella coïtis;
Accipe, quâ superes fortior arte parem.
Major eris, modò cede prior : qui vincitur irâ,
Deterior vitio redditur ille suo.
Sic tibi, quisquis erit verbis mordacibus usus,
Ad veniam , facilem monstrat Apollo viam.
Esto reis facilis; prodest favor ille duobus:
Ipse tui victor, victor & hostis eris.
Ille graves fuerat qui proruptururus in iras,
Exemplo discet mitior esse tuo.
Utile consilium teloque potentius omni,
Obsequio mentes flectere velle feras.
Rupibus impulso mucrone recanduit ignis:
Mollibus in lanis ictus inanis erit.
Aspicis ut stimulis sonipes vexatus acutis
Per juga sessorem, per cava saxa ferat?

Idem deductâ per colla ferocia palmâ
  Subſtitit, & domino paruit ille ſuo.
Parva juvant. Hoſtem blando prior ore ſaluta,
  Viceris : extinctas ſentiet ille faces.
Sæpè nocens longos odium tenuiſſet in annos:
  Principium pacis cauſa minuta dedit.
Fac poſſis tria verba loqui, ſint miſta querelis
  Illa licet : verbis conciliatur amor.
Obdurant animos inimica ſilentia : nec jam
  Quà ſubeant furtim fœdera, rima patet.
Effice jucundo pereat diſcordia riſu,
  Redde propinanti dulcia vina manu.
Proderit atque animi ſenſus, iraſque fateri;
  Non etiam cauſas expoſuiſſe veto.
Aſperitas abſit tantùm, ſimiliſque dolenti
  Objice, quæ verbis diluat ille ſuis.
Ut benè ſe purget, de te quoque pauca queretur,
  Et referet rixæ verba moleſta tuæ.
Læſus uterque fuit? veniam concedet uterque
  Proniùs ; ad pacem mutua culpa facit.
Tardiùs ignoſcet, qui totum crimen in hoſtem
  Conjicit, errores diſſimulatque ſuos.
Iraſci ſe jure putat, quem læſerit alter
  Immeritum : ipſe tibi fac videare nocens.
Ira reum te ſola facit ; ſi cetera deſint,
  Indicium culpæ eſt hæc ſatis una tuæ.
Hæc meruit pœnas : in te licet eſſe ſevero:
  Quæ fuit, ultrices ſentiat ira manus.
Hoc genus, hoc ſtudium vindictæ ſuadet Apollo.
  Dî faciant vindex ſtrenuus eſſe velis!
Quilibet ex facili eſt alieni criminis ultor;
  Qui ſua ſuſtineat plectere, rarus erit.
Et tamen irato pœnæ tibi proderit uſus.
  Cautos pœna reos, ne recidantque, facit.
Longiùs errantes, procul & venatibus actos,
  Ire docet gyro pœna minore canes.

Hæc

Hæc duræ cervicis equum, quondamque rebellem,
Arbitrio domini frena tenentis agit.
Sit moderata tamen, neque culpam limite lato
Transvolet : immodico multa rigore nocent.
Quæ poteras succis, curas malè vulnera flammis.
Viribus & culpæ pœna sit æqua tuæ.
Quem teneas, tibi Musa modũ justissima monstrat.
Non ego te flagris terga notare velim.
Nuda nec excussis moneo contundere pugnis
Pectora, nec duro lædere poste caput.
Suppositove breves somnos corrumpere saxo,
Nec caput immundis spargere pulveribus.
Mitius ingenium Musis. Tu vespere sero
Ante oculos censor facta diurna refer.
Tum tibi succurrat numerum censere furoris,
Sævierit quoties ira, quibusque modis.
Nec lacrymæ desint, sed conscia sidera flentis
Aspiciant vigiles immaduisse genas.
Pallidaque austerus subeas jejunia vindex,
Et poterit miseram lympha levare sitim.
Si patitur fortuna, stipem largire roganti,
Et tua munificâ crimina plecte manu.
Proderit ambobus pœna hæc, inopique, tibique;
Cautior ære dato : ditior alter erit.
Hâc tibi præteritus ratione piabitur error.
Supplicio sensim concidet ira tuo.
Aspicis incultâ tribulos exsurgere glebâ;
Terra bonas messes vomere læsa dedit.
Hic labor agricolis. Animi tibi cura colendi
Contigit : ingenii nobilioris opus.
Surgit & hîc spinis furor enutritus acutis,
Pectoribusque tuis tetra venena virent.
Incute (quid dubitas?) radicibus incute ferrum.
Perdenda est forti messis iniqua manu.
Quantùm animo parcis, pœnasque subire recusas,
Tantò radices altiùs ira jacit.

Hîc juvat immitem, juvat ô! juvat esse severum!
Si sapis, hîc Minos, hîc Rhadamanthus eris.
Quòque magis valeas, tetræ mala plurima pestis,
Damnaque erunt animo cuncta videnda tuo.
Improbus immerito furor insultavit amico,
Et memini æternos me violasse Deos.
Nec timuit furibunda manus propellere mensam,
Et cava sunt tumidâ pocula jacta manu.
Causa quoque ambigui nuper fuit ira duelli,
Paxque mihi fuso sera cruore stetit.
Adde graves morbos, & ruptas sanguine venas,
Utque fero restet nullus in ore color.
Dî faciant! mediâ speculum tibi detur in irâ.
Gorgonis anguicomæ forma futura tua est.
Hæc tot damna pati miseris placet? heu grave sævæ
Servitium dominæ, quam bona nulla juvant!
Dulcius est servasse fidem, coluisse propinquos,
Tempora jucundis ducere blanda jocis:
Pace frui, quâ non superis formosior oris
Est Dea, nec cupido gratior ulla mihi.
Hæc mihi contingat; non conchas litoris Indi,
Non querar exiguo marmor abesse lare.
Me mea paupertas supra Regumque triumphos,
Sublimemque super sceptra cruenta feret.
At vos purpurei multo jam sanguine Reges,
Noxia perpetuâ claudite bella serâ.
Nutibus à vestris felicia sæcula pendent.
Nîl, dare quod possint, Numina majus habent.
Pace data, nostris fugient quoque cordibus iræ.
Hâc ego vos tantùm conditione rogo.
Fallor, an à dextro Concordia risit Olympo,
Paxque coronatas constitit ante fores?
Lite vacent aures, inimicaque jurgia cessent:
Pectoribus fidus vincula nectat Amor.
Pulsa Fides redeat, redeant Æquumque, Pudorq;,
Ferrea cum vestris bella valete tubis.

Fœ-

Fœdera qui rupturus ades, procul exul agaris,
Inter & infames ſit tibi rixa lupos.
Hoc tu ſupplicium refugis? data fœdera ſerva.
Artibus hoc noſtris poſſe docendus eris.
Forſitan incautus verbo te lædet amicus,
Poſcentive citam ferre negabit opem?
Crede gravem ſubitâ curarum mole teneri,
Nec cupidum rebus poſſe vacare tuis.
Utque vacet, certè mentis vel corporis ægri
Hunc aliquâ læſum parte dolere puta.
Atque priora refer tibi quæ benefacta tuiſque
Contulit: hæc memori mente tenere decet.
Tot bona delicto vileſcent turpiter uno,
Culpa recens ob quæ diſſimulanda fuit.
Quis furor eſt rigido pomaria lædere ferro,
Unus ſi vacuus fructibus annus eat?
Tot priùs Autumnis curvis pendentia ramis
Legiſti facili grandia poma manu:
Et tibi larga Ceres fœcundis munera glebis,
Exhauſtoque dedit pinguia grana ſinu.
Horrea cum multas cepêre capacia meſſes,
Da requiem feſſo dure colone ſolo.
Ni facis, ingratus meritòque voceris avarus,
Quæque priùs data ſunt, perdere dignus eras.
Lancibus hæc librare decet. Quis crimine in uno,
Si quod erat, culpam diſſimulare neget?
Si numerent alii factorum errata tuorum,
Moribus invenient plura notanda tuis.
Munera ſi numerent, quæ tu conceſſeris illis,
Invenient parcâ non data multa manu.
Chriſtiadûm hæc populis canimus. Si Beſſus, & atræ
Parthus amans cædis negligat iſta, feram.
Fas mihi conjugibus certas quoque ponere leges.
Poſtremum hoc vati Muſa ſecundet iter.
Vos ô! conjuncti vinclo propiore parentes,
Vivite concordi femina virque toro.

Fœ-

Fœdus in æternum quondam veniſtis amantes;
Tranſeat ad canas pax ſine lite comas.
Et tibi ſi qua loquax , linguæque volubilis uxor
Contigit, ignoſcas; rara ſilere poteſt.
Non tibi contingit ſoli, communia ſexus
Crimina non cautæ garrulitatis habet.
Hoc illis natura dedit, ſtudiumque regendæ
Prolis, & ornandæ cetera cura domûs.
Vos decet hæc tolerare viri, neque ducere magni.
Diluite appoſito verba moleſta mero.
Sunt fora, ſunt comites, ſunt & commercia vobis
Publica, ſunt patrii pinguia rura ſoli.
Aut vos venandi ſtudium, ſtudiumve colendi
Ruris habet, longæ gaudia blanda moræ.
Pars quota vos horum patitur coluiſſe penates?
Nempe graves curas otia miſta levant.
Uxor ſola lares ſemperque domeſtica ſervans
Limina, privatis ſedula rebus adeſt.
Illam ſollicitæ circumſtant undique curæ,
Et ſemper cauſas undè queratur habet.
Si tamen illa viro fuerit moroſior æquo,
Nec potuit linguæ frena tenere ſuæ :
Non ego propterea furibundum torva minari
Prælia, nec manibus bella movere velim.
Quiſque ſuam norit; variis juvat artibus uti.
Femina non uno quæque regenda modo.
Sæpè levi pacem poteris componere riſu :
Sæpè ſupercilio concilianda venit.
Proderit & ſimulare iram, ſimulata juvabit;
Concidet ad faſtus garrula lingua tuos.
Aut hâc, aut aliâ pax eſt revocabilis arte.
Hâc tibi conjugii lege ſubitur onus.
Quod ſi fortè truci mulier malè juncta marito es,
Accipe non dubiam vera monentis opem.
Nulla quidem vobis Latiæ commercia linguæ,
Qui tamen hæc cupidis reddat, amicus erit.
In-

Ingenium moreſque viri cognoſcere nuptæ
Cura ſit, & cautè tempora quæque notet.
Quid placet, lædatque virum, quæ cauſa furentem
Incitet, orta quibus concidat ira modis.
Venerit ille foro ſucceſſu triſtis inani,
Tu quoque ſucceſſu res caruiſſe, dole.
At ſi læta redux narraverit, annue lætis,
Nec dubita vultu gaudia ferre tuo.
Huic caput aut ſubitâ doluerunt pectora tuſſi?
Fac tua ſollicitus contrahat ora timor.
Veſpere forſan abeſt ſolitâ tibi tardior horâ?
Quis labor eſt parvæ tædia ferre moræ?
Penelope lentum, tamen expectavit Ulyſſem,
Dicitur & reditu læta fuiſſe viri.
Ille quidem fertur luſtris erraſſe duobus,
Lapſaque jam totidem tempora Martis erant.
Te querulam facient dilatæ tempora cœnæ,
Debeat ut rugas ille videre tuas?
Quid? quod & invitus, ſic re cogente, moratur.
Quid? quod amicitiæ lege coactus abeſt.
Eſſe poteſt juſtæ, fateor, tibi cauſa querelæ,
Si nocturna malus tempora luſor agat.
Ebria ſi multo referat veſtigia Baccho,
Neglectæ ut veniat certa ruina domûs.
Limine ſi tamen hæc abſunt incommoda veſtro,
Cauta leves culpas diſſimulare potes.
Dî facerent nuptis prudentia major adeſſet!
Sentirent faciles in ſua vota viros.
Carpere diſce tui non omnia facta mariti,
Pax erit, & totâ prælia nulla domo.
Quæritis Andromachen cur miles amaverit Hector?
Ceperat hæc mira calliditate virum.
Ille ferox Danaos quoties properabat in hoſtes,
Cervici galeam quæ daret, uxor erat.
Illa leves juſto ponebat in ordine criſtas,
Aureaque adſtantis frena tenebat equi.

Omi-

Ominaque adjiciens felicis proſpera pugnæ,
  Placabat patrios thure meroque Deos.
Sive redux cæſo referebat ab hoſte triumphum,
  Victori conjux exuit arma viro.
Multaque de ratibus magnoque rogabat Achille,
  Ut fuerit primo claſſis aduſta ſalo.
Quid faceret Pyrrhus, quibus & Menelaus in armis
  Imbelli dederit mollia terga fugæ.
Bellaque laudabat victoris & arma mariti.
  Hectoris hâc potuit pectus ab arte capi.
Andromache eſt imitanda tibi; placituraque mores
  Cauta viri, referas moribus ipſa tuis.
Gaudet amor ſimili: neque nigris candida corvis
  Pectora formoſus jungere curat olor.
Vos quoque conjugii communia pignora fratres,
  Cognati memores ſanguinis eſſe decet.
Ut pugnent alii, certè vos fœdera jungunt
  Arctiùs, & nodo corda potente ligant.
Vivitis ex una duplices velut arbore rami,
  Unaque vos radix, ſuccus & unus alit.
Vos decet, ex utero genuit quos mater eodem,
  Fructibus ut rami, moribus eſſe pares.
Nec violata priùs, nec adultera vos tulit arbor
  Degeneres, & fraus inſitionis abeſt.
Vivite ſic ut ne pigeat genuiſſe parentes,
  Et cupiant uteri pignora nulla ſui.
Viderit ara ſemel diſcordes currere fumos:
  Hæc vetus, & mundi rixa recentis erat.
Nunc tamen ut ſæcli fulſit melioris origo,
  Numinis & cunas ducere cœpit Amor.
Cùm puerum optatæ referentem tempora pacis
  Sidera miſerunt, læta recepit humus:
Barbarus an quiſquam renovati fœdera mundi
  Negligat, & gladios durus & arma paret?
Ecquis erit, cunis qui non manſueſcat ab illis,
  Vincere quem nequeat blandus amore puer?

Crediderim huic duris ſilices pendere medullis,
Pectora nec ferri mole carere reor.
Illum aut ignotis nutrix lupa protulit antris,
Aut natum è ſcopulis expulit unda ſuis.
At vos Chriſtiadæ ſaltem morientis amorem
Cernite : pro vobis nobile pendet onus.
Ille cruor rupti lateris de fonte volutus,
Pacem, quâ nihil eſt dulcius orbe, rogat.
Ille inimicitias, odiique extinguere flammas
Admonet, & miti pectus amore trahit.
Et movet exemplo, meritamque latronibus iram
Ponit, & errorem crimina tanta vocat.
Quòque magis cauſam morienti voce peroret,
Suſpicit, & Patrem voce tremente vocat.
Care Pater, populo veniam concede furenti;
Me petat, inque meum detonet ira caput.
En ego vindictæque lubens pœniſque reſervor,
Aſpicis hinc pretium ſanguinis ire mei.
Dixit, & inclinans humeris caput, ultima mundo
Plenaque divino fœdere verba dedit.
Diffugiunt Furiæ, lethæaque flumina præter
It Furor, & victus Tartara nigra ſubit.
Quæque diù noſtrum Vindicta coërcuit orbem,
Exulat, & ſtygiis improba latrat aquis.
Ecce ſerenatas curru victore per auras
Candida Pax niveis lora miniſtrat equis.
Sancta Fides circùm, & volucrum ſonat agmen
Et manibus nexas implicuêre manus. (Amorum,
O ita! bella Deus victor procùl orbe releget,
Damnaque quæ partu bella nocente ferunt.
Cocyti fremat atra domus, maneſque ſceleſtos
Dividat, & diſcors, quò volet, ira ferat.
Nos tamen aſtriferi reſerata palatia cœli,
Regnaque diversâ candida parte manent.
Divus ubi pharetrâque puer facibuſque volentes
Uret, & æternus ſpicula mittet Amor.

Diſ-

Discite venturæ jam nunc submittere paci
  Pectora : discordes non capit illa domus.
At quos bella juvant & amaræ prælia linguæ,
  Accipiet stygiâ Cerberus ultor aquâ.
Illìc perpetuis agitata furoribus, illìc
  Sæviet ad nigros pallida turba lacus.
Eligite, aut pacem hîc posito coluisse furore,
  Ut pius æterno fœdere duret Amor:
Aut furiis rixâque brevem malè ducere vitam,
  Rumpat ut æternus noxia corda Furor.
Credite, in oppositas Furor & Concordia sedes
  Ducunt. Eventus hos feret una dies.
Felices! quibus æthereas continget in oras
  Ire coronatis post sua fata comis.
Ventus ad optatos duxit mea lintea portus.
  Si merui, remis addite serta meis.
Votaque sanati medicæ persolvite Musæ:
  Hoc pretio versus æstimat illa suos.
Dî faciant, nostris aliquis premat artibus iram!
  Præmia si vates consequar ista, sat est.



LIVINI
MEYERI
E' SOCIETATE JESU
ELEGIARUM
LIBER I.

ELEGIA I.

AD
SERENISSIMAM ARCHIDUCEM
MARIAM ELISABETHAM
BELGII AUSTRIACI

Pro Carolo Fratre Imperatore Gubernatricem.

ERgò venis, ſacroſque licet cognoſcere vultus,
O Lux Auſtriacæ deliciumque domûs!
Noſtrarumque decus rerum, reparandaque Belgis
Gloria, tam longum carpere ſuaſit iter.
Nec Soror, aut Carolus Frater remoratur euntem,
Quaſque tibi Neptes Cæſar uterque dedit.
Auguſtoſque Lares, & Majeſtate verendos
Deſeris, atque aulæ gemmea tecta tuæ.
Quis te cogit amor peregrinas viſere terras?
Non tibi gens tanto digna labore ſumus.
Quò properes, atque undè, vide. Petis ultima (mundi
Rura, fatigatos Sol ubi condit equos.
Non hìc invenies aquilas, non plena tropæis
Atria, non vinctos fixa ſub arma duces.
Qualia fraternus tibi dat ſpectacula Mavors,
Captivis referens barbara ſigna Getis.
Non, non imperium vaſtæ telluris habebis.
Belgica non amplo limite noſtra patet.
Partem Gallus habet, Batavo pars altera cedit.
Eheu! quàm ſpatio cogitur illa brevi!
Regna tuus Frater latum diffuſa per orbem,
Finibus immenſis vix obeunda tenet.
Illi pars magna Italiæ, diviſaque ponto
Trinacris, & domino terra Bohema ſubeſt.

Nec

Nec non & Moravi, nec non Silesia, regnis,
Quà Boream spectat, juncta Polone tuis:
Stiriaque, & Venetis vicina Carinthia terris,
Et quæ Carniolæ pascua, Save, rigas:
Quæque ferax segetis, cultæque Neapolis uvæ,
Una ingens regnum sub sua jura tenet.
Hungara cui tellus, cui Transilvania servit,
Et volvunt famulas Dravus & Ister aquas.
Et quæ præterea (neque enim comprendere fas est
Singula) regna tuus plurima Frater habet.
Hæc si cum patria, Princeps, componere nostra,
Metirique oculis Belgica rura velis,
Vix erit Austriaci pars hæc millesima sceptri.
Quàm vereor meritis par sit ut illa tuis!
Angulus Europæ nostras premit ultimus oras,
Terraque finitimo clauditur illa mari.
Non fortunatos populos spectabis, & urbes.
Assiduus patrias Mars populatur opes.
Quamque petis, flammis Bruxella hostilibus arsit.
Pars minor è tanta vix fuit urbe super.
Indicium veteris cernes nova tecta ruinæ,
Ruraque cum villis diruta nostra suis.
Et pro Danubio fluctus imitante marinos,
Hìc Sennæ tenues ire videbis aquas.
Quò feror? invisas modò supprime Musa querelas:
Materiam tellus hæc quoque laudis habet.
Utque nihil referam de cæli auræque benigna
Temperie, & culti fertilitate soli:
Quodque laboriferi vertant hæc arva coloni,
Et segete & lino dives abundet humus:
Ut taceam portus mutandis mercibus aptos,
Alteraque urbs spatio quod stet ab urbe brevi:
Quæ Proavis olim placuit, Celsissima Princeps,
Ut placeat, satis est, hæc quoque terra tibi.
Scilicet Austriacis habitata palatia cernes,
Si per avita tuæ nomina gentis eas.

Carolus his Quintus tener in regionibus infans
Vagiit : hìc puero lux data prima fuit.
Hac crevit : Belgas hac eſt moderatus in aula.
Hìc galeâ frontem preſſit, & enſe latus.
Hìc animos hauſit, caderet quibus ultimus orbis,
Hinc ut ad Imperii culmen iturus erat.
Ganda memor gaudet, tantoque ſuperbit alumno,
Quantum nulla tulit regia, nulla feret.
Carolus excipitur qui nunc regit : illius ingens
Cedere honorato gloria neſcit avo.
Effigies Quinti, quam tollet nulla vetuſtas,
Aurea ſtat Gandæ conſpicienda foro.
Temporis illius magna eſt meminiſſe voluptas,
Quo cor idem populos junxit & una fides.
Nondum Belgiacas error diviſerat urbes,
Seditio ſtygiis preſſa latebat aquis.
Donec amor mentes nexu ſtringebat amico,
Nullus ab externo milite terror erat.
Omnibus Oceani patuit via : nec fuit ullus
Communes reliquis qui prohiberet aquas.
Æquora tuta dabant merces, ditiſſima tellus
Belgica, congeſtas vix capiebat opes.
Deinde ſub Alberto, veſtroque è ſanguine natâ
Conjuge, Belgarum patria tuta fuit.
Hanc illis dederat terram pro dote Philippus.
Lætior hâc nobis non fuit ulla dies.
Nîl votis reliquum fuerat, ſi Principe nato
Heredem felix hæc habuiſſet humus.
Dîs aliter viſum eſt. Auguſtos prole carentes,
Speſque ſimul noſtras, abſtulit atra dies.
Poſt illos patriæ tenuit Leopoldus habenas,
Heros qui veſtri ſanguinis alter erat.
Qui fuerit pietate magis ſpectandus an armis,
In dubio eſt. Virtus utraque ſumma fuit.
Illius erexit preſſos præſentia Belgas,
Cum miſeris jam ſpes vix foret ulla ſuper.

Gal-

Gallus, amans belli, noſtras invaſerat arces.
Advolat Auſtriades : nec mora; victor erat.
Hoſtibus ereptæ redeunt cum civibus urbes,
Redditaque eſt domino Flandria tota ſuo.
Altera reſtabant poſt victos prælia Gallos,
Prælia pro ſacris, Roma, gerenda tuis.
Mox gladium Princeps fidei convertit in hoſtes,
Relligioque ipſo vindice tuta fuit.
Hæreſis in lucem multo tumefacta veneno
Venerat, è tenebris ſuſtuleratque caput.
Ipra tulit, genuitque nocens, ſparſitque volumen.
Protinus hoc avidæ corripuêre manus.
Utque fit, incautos fallax deceperat error,
Viſceraque in patriæ peſtis itura fuit.
Roma recens natum dejecit fulmine monſtrum :
Sed tamen hanc hydram qui ſequerentur, erant.
Obſtitit, & ſolitâ preſſit virtute rebelles,
Auſtriacamque iterum Belgica ſenſit opem.
Principis æternum memores ſervamus amorem,
Qui duplici palmam victor ab hoſte tulit.
Tu quoque Cæſareo clariſſima ſanguine, Belgas
Hoſtibus à fidei quæ tuearis, ades.
Utque locum, ſedemque tenes ſublimis eamdem,
Jam pridem Proavi quam tenuêre tui,
Sic per nota tuæ gradiens veſtigia gentis,
Illis inferior ne videare, caves.
Scilicet in ſobolem virtus ſolet ire tuorum,
Nec viſa hæc umquam eſt degenerare domus.
Sanctaque nequando moriatur fama parentum,
Perque ſuæ ſeriem poſteritatis eat,
Et pater & genitrix ſpirant in imagine natæ,
Heredemque ſuæ te pietatis habent.
Feſta dies minimo celebranda recurrat honore:
Prima ades; & longas accipit ara preces.
Quamque oculis ſpiras, reverentia Numinis omnes
Allicit: exemplum quodque ſequantur, habent.

Ipſaque nobilitas patriæ quæ ſtipat euntem,
Moribus inſtruitur, perficiturque tuis.
Et ne fortè putes ſolum hæc memorare poëtam:
Hæc populi vox eſt, publicaque ora ſequor.
Ad te oculos menteſq; trahis. Tua facta notantur:
Nec res geſta poteſt Principis ulla tegi.
Tantaque majeſtas faſtu caret. Omnibus æqua
Fers facilem, tantùm ſi mereantur, opem.
At quemcumque tenet fidei contrarius error,
Flectere cervicem qui tibi, Roma, negat,
Qui ſacra Pontificum, tot nunc iterata per annos,
Effronti ſpernit juſſa ſupercilio:
Hunc refugis, nulloque reum dignaris honore,
Quique Deo, pariter perfidus ille tibi eſt.
Sacrarum cuſtos obſervantiſſima legum,
Hæreſibus claudis, perfidiæque viam.
Hoc Proavi fecêre tui, veſtigia quorum
Æmula Romanâ relligione premis.
Quid referam, doctæ teneas quod Palladis artes,
Teque Deæ ſimilem virginitate probes?
Quid, varias quod ſis linguas edocta, nec ullus
Te poſſit Latio promptiùs ore loqui?
Quid, quòd rara tuos prudentia dirigat actus,
Quælibet atque oculis lis ſit aperta tuis?
Quid, quòd turba inopum te ſentiat eſſe parentem,
Accipiatque avidâ munera larga manu?
Denique ſic cunctis animum virtutibus ornas,
Pars, quid ut adjicias, ut tibi nulla vacet.
Supplicibus facilis, miſeris pia, dura ſuperbis:
More Dei cunctis, ut meruêre, refers.
Magna Gubernatrix, ſpes & tutela tuorum:
O patriæ votis ſæpè petita meæ!
Dî tibi dent longos (quid enim tibi gratius optem?)
Et meritis plenos poſſe videre dies.
Tempora cumque tuæ compleveris omnia vitæ,
Mors cælo poſitis te pia jungat avis.

ELE-

ELEGIA II.

Ad urbem Gandavum de natali Caroli V. Cæsaris.

OLim Cæsareo nutrix celeberrima partu,
 Et meritò cunis inclyta, Ganda, tuis.
Nulla poteſt ſimili gaudere puerpera voto,
 Nec tibi par tanto pignore mater erit.
Creta Jovem memoret, cuniſque ſuperbiat iſtis,
 Falſaque nutrices Inſula jactet apes;
Et quoties alto crepuêre tonitrua cœlo,
 Imperio nati læta ſit illa ſui.
Sit licet & Lunâ felix & Apolline Delos,
 Prole gemelliparæ terra ſuperba Deæ.
Antè movebatur, mediiſque errabat in undis,
 Arbitrio tumidi quolibet acta maris.
Pro mercede dedit Latona reſiſtere ventis,
 Et ſtabilem, demptâ mobilitate, locum.
Scilicet his famam, ſine re, tribuêre poëtæ.
 Non facit ad laudes fabula vana tuas.
Tu puero, naſci quo non auguſtior alter
 Orbe poteſt, genitrix ubera vera dabas.
Protinus ad cunas vultu Fortuna ſereno
 Adſtitit, & ſtabilem fixit amica pedem.
Illa ſecuturæ volvens oracula vitæ,
 Fatidico tales edidit ore ſonos.
Parve puer, poſtquam imperio potieris avito,
 Parebit ſceptro terra fretumque tuo.
Olim Litoribus te ſentiet Africa captis,
 Tuneto pulſos reſtitueſque duces.
America argenti venas tibi pandet & auri.
 Annua congeſtas claſſis habebit opes.
Regna tuus ferro ſubdet tibi barbara miles,
 Et feritas patiens relligionis erit.
Nec ſat erit ponto diviſas vincere gentes,
 Et mundi partes ſuccubuiſſe duas.

Europæque Aſiæque dabit tua dextera leges,
Victriceſque Aquilas utraque terra tremet.
Quique ferox cinget Solymannus marte Viennam,
Terga citâ vertet, te veniente, fugâ.
Barbarus horrebit ferro tentare tyrannus
Prælia. Tu, nullo ſanguine, victor eris.
Quid facies pugnans, ſi ſolo nomine vinces,
Et tua ſors hoſtes, famaque nuda premet?
Scilicet arma Padus tua ſentiet, & tremet Albis.
Ille capi regem cernet, & ille ducem.
Nec non Herculeas ultra gradiere columnas,
Ultima quàque patent æquora, terror eris.
Cetera quid memorem? quà tellus brachia pandit,
Proſtrato referes victor ab hoſte pedem.
Regnaque cum dederis nato pater omnia: victis
Omnibus, ipſe tui denique victor eris.
Una hæc præteritos ſuperabit palma triumphos.
Non partem hìc aliquam caſus habere poteſt.
In reliquis terræque ſitus, ſilvæque, lacuſque,
Pugnantumque animi, fluminaque ipſa juvant.
Parta tibi totam dabit hæc victoria laudem,
In qua dux, miles, ſignifer, unus eris.
Hæc cecinit Fortuna, ſuum quo tempore Ganda
Infantem nutrix lactis alebat ope.
Felix, & reliquas inter ſublimior urbes,
Quas Sol exoriens occiduuſque videt!
Te laudent alii, Themidis quod ſacra colendo,
Omnia Minoâ crimina lance premas:
Quodq; ſcelus citá commiſſum vindicta ſequatur,
Nec pateris longas carceris eſſe moras:
Nec jus ſcire magis quàm reddere cuique labores,
Et geminâ populos utilitate leves.
Mirentur fluvios alii, mirentur & arces,
Et quas delicias terra ſalubris habet:
Tectaque culminibus latè memoranda ſuperbis,
Quæque ſolent multo paſcua vate coli.

Nîl

Nîl vulgare cano. Satis est mihi dicere cunas
  Cæsaris. Hìnc patriæ maxima fama meæ.

ELEGIA III.

In nuptias Josephi Archiducis Austriæ, & Amaliæ Principis Hannoverianæ.

AUgustum gemini veniunt ad fœdus amantes.
  Ipse mihi sponsor carmina dictet Amor.
Hùc ades, Æneadum volucer cum matre Cupido.
  Desere natales, Cypria regna, domos.
Ex humeris pharetram genitrix, ut pendeat aptè,
  Collocet, ardentes excutiatque faces.
Limet & Idaliâ fœcundas cote sagittas,
  Et nitidas myrto vinciat antè comas.
Curribus auratis nivei jungantur olores.
  Ipse dabis tremulâ gemmea lora manu.
Sic comptus propera. Stillent quoque tempora (nardo,
  Collaque puniceis lactea necte rosis.
Neve puer, quæ causa novos, exquire, paratus
  Suadeat. Hâc numquam dignior ulla fuit.
Josepho nova Sponsa venit. Circumspice formam
  Virginis: hanc matri surripuisse putes.
Tantùm alias specie præcellit Amalia sponsas,
  Quantùm sidereas Cynthia plena faces.
Illa potest oculis stellas hebetare micantes,
  Vincere & intactas candida tota nives.
Mellea vox, linguæque nitor, quid amabile spirant
  Auribus. Hoc divas suspicor ore loqui.
Dignior hâc thalamis nulla est regalibus, ingens
  Si morum spectes ingeniique decus.
Ecce verecundos in humum declinat ocellos,
  Ad vultum sponsi subrubuitque sui.
Ipse pudor decet hanc, augetque modestia formam,
  Quemlibet & blanda nobilitate rapit.

Sæpe aliis alium tribuit natura decorem,
  Alteraque alterius munere ſponſa caret.
Diviſas reliquis dotes hæc poſſidet una.
  Nîl ars : nîl illis addere cura poteſt.
Principibus miſtum poteris quoq; noſcere ſponſū.
  Plus oculis altæ nobilitatis ineſt.
Jupiter utque deos ſpecie ſupereminet omnes,
  Summaque majeſtas luce notanda ſuâ eſt:
Sic honor Auſtriaco ſublimior eminet ore,
  Celſaque frons aliquid, quod tremat orbis, habet.
Nec mens inferior formâ eſt. hanc regia virtus
  Ornat, & exemplum Principis una facit.
Cum pater explerit quos ſceptro debuit annos,
  Altaque deſertâ ſidera tanget humo,
Joſephi ex humeris librato æqualiter axe
  Pendebit terræ, ne grave nutet, onus.
Hæc & plura puer mirabere ; tu modo ſegnes
  (Nam te pompa vocat) rumpe Cupido moras.
Eia age, quid ceſſas? jam dudum pronuba Juno
  Præbuit adventûs proſpera ſigna tui.
Nonne vides vacuo deſcendere numina cœlo?
  Ipſe ſua Cæſar vix capit arce deos.
Majeſtas media ſedem ſibi fixit in aula,
  Nec minùs hìc aquilas, quàm Jovis arce, tenet.
Parte ſedet dextrâ placido Clementia vultu,
  Et Themis, & nexâ Paxque Cereſque manu.
Mars parte adversâ, poſitis ſed mitior armis,
  Adſtat, & in tabula mœnia capta notat.
Hungariamque ſuo ſubjectam denique regi
  Exhibet, & Parthos ſub pede victor habet.
Seditio ſupplex, onerataque colla catenis,
  Projicit injuſtâ quæ tulit arma manu.
Danubius pater applaudit, Nymphæque natantes
  Formoſum ripis exſeruêre caput.
Omnes connubium celebrant divique deæque,
  Auguſtoque ferunt omina fauſta toro.

Vi-

Vivite concordes animæ, quodque æthere numen
Labitur, optatâ fœdera prole juvet.
Parvus olorinis aderat Cythereïus alis,
Terque puer circum tecta laremque volat.
Quæque priùs tota ſelegerat ille pharetra
Impoſuit nervo ſpicula bina ſuo,
Et ferit. Hæſerunt volucres in corde ſagittæ,
Perque cor & venas flamma jugalis abit.
Exiluit, motiſque deus dedit omina pennis,
Quæ probet exiguo tempore Cæſar avus.
Tu modò prægnantis Lucina doloribus adſis,
Et vivum gremio molliter aufer onus.
Ut penes Auſtriacos maneant moderamina mundi,
Soſpes & imperio conſulat iſta domus.
Dî, quorum auſpiciis hymeneïa fœdera conſtant,
Efficite optatis pondus ineſſe meis.

ELEGIA IV.

Ad Carolum VI. Imperatorem & Regem, in natali Sereniſſimi Archiducis Leopoldi, cùm ei poëma de inſtitutione Principis offerendum parabatur.

OPtatus tandem illuſtri de ſanguine Princeps
Naſcitur. Auguſtum tolle Vienna caput.
Læta triumphales Germania ſuſcitet ignes,
Perque vias latè vina vetuſta fluant.
Bacche pater, nunc Hungarico de palmite preſſum
Funde merum. Res hæc munere digna tuo.
Danubius feſtâ prætexat arundine frontem,
Et cava nectareas urna miniſtret aquas.
Thura ſacerdotes votivaque munera templis
Reddite. Nunc purâ victima danda manu.
Sola nec exultat Germania Principis ortu:
Conſors lætitiæ Belgicus orbis erit.
Nos quoque natalem pueri celebramus ad aras,
Cumque pia pompam plebe ſenatus agit.

Et

Et procul Auſtriacis quamvis diſtamus ab oris,
Non tamen affectu turba remota ſumus.
Dividimur ſpatio : præſenti mente tuemur
Omnia : nîl illam, quò lubet, ire vetat.
Illa per immenſum diſcurrit libera cælum,
Non mare, non mentis terra moratur iter.
Illa volat, tacitoque ſubit tua limina paſſu
Cæſar, & ante ſacros volvitur ima pedes.
Hac patri, hac pariter nato gratamur ovantes,
Et damus in ſanctos thura merumque focos.
Utque regat ſeris domus iſta nepotibus orbem
Publica privatâ vota juvamus ope.
Gratia Cælitibus! quorum tutela cavebit
Stirps ſit ut Auſtriacæ non abolenda domus.
Dumque ſuis firmus ſtabit compagibus orbis,
Cæſaribus tellus ſubdita ſemper erit.
Hoc pietas meruit, meruit clementia, quique
A proavûm ductus ſanguine candor ineſt:
Hoc Romana fides ſceptro defenſa potenti,
Carior & regno relligionis amor:
Hoc meruit ſine labe pudor, caſtumque cubile
Principis, & ſocii vincula fida tori:
Quæque carens faſtu, populiſque intenta beandis
Auguſto vigilans pectore cura ſedet.
Si vacat annales mundi pervolvere, toto
Invenies nullum mitius orbe genus.
Non hoc ſola canit Germania, quæque priorem
Ad dominum gaudens Belgica terra redit.
Iſta ſagittiferæ tibi dant præconia gentes,
Et meritam laudem Cæſar ab hoſte refers.
Perfida cùm violet dextris data fœdera, numquam
De veſtra queſta eſt barbara terra fide.
Illa necat captos; tu captis parcere gaudes
Hoſtibus; inque feros nîl feritatis habes.
Plus quid te deceat ſpectas, quàm quid tua poſſit
Dextera, nec vires conſulis ipſe tuas.

Ut-

Utque tuo ſemper comes eſt victoria marti,
Surgit ab hoſtili ſic tibi cæde dolor.
Mitis ut es, malles ſtabilem ſine ſanguine pacem,
Ambit & invitas palma cruenta comas.
A Superis decus illud habes. Ad fœdera nullus
Promptior, ad pugnam lentus & arma venis.
Ut tamen aſſumpta eſt bello tibi parma coacto,
Ante tuos properant Juſque Piumque duces.
Quæque moves probat arma Deus, fortunaque, (Divûm
Imperio, cœptis ſemper amica tuis.
Victorem cauſæ bonitas facit, & premit hoſtes,
Illa tuis ducibus militibuſque favet.
Perfida quid noſtras aquilas aurora laceſſis?
Crede mihi, cælo bella vetante moves.
Et quoties noſtros tentas perrumpere fines,
Succeſſu toties te caruiſſe doles.
Non te millenis defendunt agmina ſignis,
Non vires, toto quas Oriente trahis.
Ut ſonuêre tubæ, concurrunt milite denſo
Germani: galeæ ſcutaque pulſa ſonant.
Cæſa cadis: verſas glomerat fuga mille cohortes.
Inſtat anhelanti fervidus Hunnus equo.
Obſidio ſequitur: pelluntur mœnibus hoſtes.
Perfidiæ pœnas barbara terra dedit.
Cæſar habes muros poſitaſque paludibus arces,
Vallaque Taurini ſuccubuiſſe vides.
Danubius ripam nobis peregrinus utramque
Porrigit, & dominum gaudet habere novum.
Hoſtibus & ſi quid ſuperatis tollere differs,
Hoc capient nati poſt tua fata tui.
Interea ut ſceptro formetur idoneus heres,
Principis ad leges erudiendus erit.
Forſitan audacter faciam, quia viribus impar
Noſtra gravaturum muſa ſubibit onus.
Res tamen una levat timidi præcordia vatis,
Una mihi vires ingeniumque facit:

Non

Non opus eſt longè documenta artemque regendi
Quærere. Materiam ſola Vienna dabit.
Exemplo ſatis eſt puer ut formetur avorum.
Cæſareas dotes non niſi Cæſar habet.
Non eget externo domus hæc fulgore, tuetur
Splendorem imperii moribus illa ſuis.
Septima parve puer tibi cùm numerabitur æſtas,
Signaque ſol toties per ſua flectet equos,
Incipe Cæſareæ virtutem agnoſcere ſtirpis,
Et generis famam fac tueare tui.
Inclyta quæque tibi memorabo facta tuorum
Perlege: quod fugias, quodque ſequare, dabunt.
Invenies illìc quid triſte, quid utile regno,
Quidque gravet populos, quâque leventur ope.
Invenies ſcopulos ad quos periêre tyranni,
(A proavis quamvis dedecus illud abeſt.)
Saturnique dies placidos, & plena quietis
Tempora, cùm belli neſcia terra fuit.
Hîc canitur priſci virtus pietaſque Rodolphi,
Qui fuit auguſtos maximus inter avos.
Huic Roma imperium ſuperique dedêre faventes,
Subdidit huic faſces Auſtria prima ſuos.
Ille dedit ſtirpi manſurum in ſecula nomen,
Ingens quo nullum clarius orbis habet.
Carolus hîc legitur dictus cognomine Quintus,
Qui domuit terras, qui domuitque mare.
Hunc olim tremuit gemino plaga ſubdita ſoli,
Nîl ultra, victor quo graderetur, erat.
Hîc canitur Leopoldus avus: neque muſa recentes
Noſtra ſilet palmas, Carole Sexte, tuas.
Plura quidem natura ſagax meliorque magiſtra
Suggeret, & monitis plus valitura meis.
Quæque ad te virtus ab origine tranſit avorum,
Firma ſatis per ſe ſemina laudis habet.
Sed tamen ut validi curvent tua lintea venti,
Addere remigii non prohibemur opem.

Spon-

Sponte ſua ad palmam curſu qui tendit anhelo,
Hortantis domini voce juvatur equus.
Ut fragiles cita concipiant incendia virgæ,
Mota levi vento creſcere flamma ſolet.
Præda ſatis per ſe ſtimulat, tamen ærea cogunt
Cornua velocem fortiùs ire canem.
Et tibi nitenti trânſcendere facta tûorum
Fortè aliquod calcar carmina miſſa dabunt.
Denique ſi noſtris fructus conatibus abſit,
Affectu ſaltem non nocuiſſe ferar.
Et quamvis alii de nato Principe vates
Altiùs, & plectro magna ſonante canent:
At celer officio tardos anteire laboro.
Diminuunt lentæ maxima dona moræ.
Sæpe Deo nexæ primo de flore coronæ
Argento pretium divite majus habent.
Hoc facit, ante focos quamvis cadat hoſtia diſpar,
Grata ſit ut magno non minùs agna bove.
Nempe animũ ſuperi potiùs quam munera cenſent
Et pretium doni mens facit ipſa ſui.
Accipe, care puer, curâ properata recenti
Carmina, nec Belgæ deſpice vatis opus.
Felix! ſi minimâ poſſit te parte juvare
Quæ veniet noſtra miſſa Thalia manu.
Illa quidem rudis eſt, neque tanto Principe digna,
Et vitium ſecli deterioris habet.
At poſt Auſtriacos animoſior ire triumphos
Diſcet, & huic animos Cæſaris arma dabunt.
Tempore quo Phœbum genuit Latonia Delos,
Læta recens numen Græca recepit humus.
Mox dedit altrici terræ deus ille poëtas,
Inque novos docuit nectere verba pedes.
Magnus honor primis, & erat cæleſtis origo
Vatibus. Hos vulgus credidit eſſe deos.
Quippe feras cantu, cantu montana movebant
Robora, currentes muſa tenebat aquas.
Ar-

Arma per hanc, palmæq; ducum, regumq; triumphi
  Nullo caſurum tempore nomen habent.
Hectora quis noſſet? quis belli fulmen Achillem?
  Nobile Mæonidæ ſi latuiſſet opus.
At poſtquam caruit Phœbi cultoribus ara,
  Heres nec Græci carminis ullus erat:
Collibus è patriis Romam migravit Apollo,
  Et comites Pindum deſeruêre deæ.
Hîc illum coluiſſe ferunt capitolia, donec
  Tota ſub Auguſto Cæſare terra fuit.
Materiam citharæ crebris dabat ille triumphis,
  Protulit & vates terra Latina novos.
Virgilius priſco famâ certavit Homero,
  Et veterum nulli Naſo ſecundus erat.
Quæris cur Tyberim Phœbus mutaverit Iſtro,
  Teutonicum Latio prætuleritque ſolum?
Nempe iterum ſequitur victricia Cæſaris arma.
  Nîl alibi dignum, quod caneretur, erat.
Perge tuis, Cæſar, depellere finibus hoſtem,
  Creber & Auſtriaco marte triumphus eat.
Eugeniuſque, minor nec Achille nec Hectore du-
  Auſpiciis vincat, vicit ut antè, tuis. (ctor,
Phœbus habet Lauros, quas circum tempora ne-
  Inque tuum veniet multa corona caput. (ctat,
Ut taceam de me, cui vires tarda ſenectus
  Subtrahit, & modicus carminis uſus adeſt:
Non deerunt, victura canant qui geſta poëtæ,
  Quique tuum citharâ nomen ad aſtra ferant.
Frigore non adeò torpent præcordia Belgis,
  Quorum cæleſtis pectora fervor alit.

ELE-

ELEGIA V.

Ad Auguſtam Imperatricem Eliſabetham primo partu Sereniſſimi Archiducis Leopoldi fœcundam.

LÆta novo partu, fœcundaque Principe mater,
Unica Cæſareo dignaque, parque toro.
Dum meritos Regina tibi meditamur honores,
Si vacat, atque humilis Muſa meretur, ades.
Te ſibi Majeſtas, nutu quæ temperat orbem,
Junxit, & imperii ſceptra tenenda dedit.
Pronuba Relligio ſponſam deduxit ad aras.
Virginitas niveo ponè ſecuta gradu.
Et ſuper Auguſtos volitans Hymenæus amantes,
Pectora purpureis ſparſit & ora roſis.
Iſta tamen vetus eſt, cantataque vatibus olim
Gloria. Nunc Muſas altera pompa vocat.
Ordiar undè priùs non eſt decernere promptum.
Materies dubium, copiaque ipſa facit.
Si faciem laudo : Veneris tibi cedit imago.
Si mores : Juno non neget eſſe ſuos.
Ingenium mirer? dote hac cum Pallade certas.
Invideat : tamen hoc ipſa Minerva probet.
Has inter quondam lis orta fuiſſe refertur,
Quæ melior formâ de tribus una foret.
Paſtor in Idea certamina valle diremit :
Judice quo divam vicit utramque Venus.
Tempore ſi noſtro redeat Paris arbiter alter,
Tres poteris triplici vincere dote deas.
Hùc par nobilitas, ſerieſque accedit avorum,
Quæque micant titulis ſcuta paterna ſuis.
Altera maternâ tibi laus ab origine ducta
Surgit : & eſt gemino ſanguine clara domus.
Si quis prima tuæ quærit cunabula gentis,
Ille cupit fontem noſcere, Nile, tuum.

Nam

Nam velut ille ſuos quærentibus occulit ortus,
Semper & ulteriùs, quo gradiantur, habent:
Majorum ſeriem ſic percenſere tuorum
Nemo poteſt. Numero res caret illa ſuo.
Ipſe vetuſtatem Cæſar probat. Ipſe merentem
Judicat auguſto ponere membra toro.
Ipſe cupit gemino miſceri ſanguine ſtirpem.
Et quid nobilius Cæſare mundus habet?
Jure igitur tanto ſub judice tuta ſuperbis,
Et tibi pars famæ ſalva ſtat iſta tuæ.
Summa tamen laus eſt, genito quod Principe mater
Diceris, Auſtriacum ſuſtineaſque genus.
Cetera deficiunt ſenſim, fatoque premuntur:
Solaque fertilitas, undè ſuperſit, habet.
Adde quod ingenium, quod forma, & gratia morũ,
Grande quidem, unius ſint tamen illa decus.
At dare Cæſaribus natos, ad publica ſpectat
Commoda. Privati cetera juris erunt.
Maternos igitur meritò celebramus honores.
Non magis hac ullâ dote placere potes.
Quid? quod adhùc vegeto floreſcens robore corpus
Spem duraturæ fertilitatis habet?
Quid? quod alit Cæſar generoſi pectoris ignem,
Quo genitor canâ poſſit & eſſe comâ?
Quid decora enumerem laudes ſuperantia ſexûs,
Quæ ſtupeat veniens, præterituſque dies?
Quodcumque in priſcis canitur decus heroinis,
In te collectum tempora noſtra vident.
Utque ſuis ornat Cæſar virtutibus orbem,
Nullaque de fama Principis ora tacent:
Sic tu virginibus præbes exempla pudoris;
Cenſuramque tuam, ſi qua ſoluta, timet.
Nec matrona minùs proba fit tibi juncta: tuiſque
Moribus inſtruitur, quodque imitetur habet.
Felix conjugium! & dignum cui conferat æther
Munera cæleſti multiplicata manu.

Deficit

Deficit in vobis, qui carpit cetera livor,
  Et nihil obliquo lædere dente poteſt.
O facias (te namque colunt) ſanctiſſima matrum,
  Gaudeat ut multâ regia prole domus.
Nullaque ſit toto genitrix fœcundior orbe,
  Dividat & natis oſcula plura ſuis.
Sæpe alios onerat natorum copia: ſceptrum
  Qui gerat, ex illis ſcilicet unus erit.
Tu ſeptem numeras populos, totidemque coronis
  Cingitur Auguſtæ Cæſareumque caput.
Solaque quot natos, totidem potes edere Reges.
  O! in quot titulos ſufficit una domus!
Sint patri ſimiles ſic ut noſcatur in illis,
  Et genitrix tenero poſſit in ore legi.
Indole præcipuè referant factiſque parentes,
  Geſtaque cum niveo grandia lacte bibant.
Hæc toto, Regina, vovent tibi pectore Belgæ,
  Quæ rata per partus experiare novos.
Conjuge cumque tuo canos dum expleveris annos,
  Dent tibi, dentque illi, ſidera tarda locum.

ELEGIA VI.

Laus Danubii.

DAnubii mihi Pierides date noſcere fontem,
  Arvaque quæ curſu præterit ille ſuo.
Si quid & Auguſto victrici profuit unda
  Dicite. Res veſtro carmine digna cani.
Tuque pater, tua dum properant ad litora Muſæ,
  Ne dubita ripis exſeruiſſe caput.
Fas mihi ſit laudum partem celebrare tuarum,
  Nam tellus nullum par tibi flumen habet.
O decus Europæ! quo non ſpatioſior alter
  Immenſis terram fluctibus amnis obit.
Non tu communi fluviorum tramite curris,
  Feſſa nec occiduo volvitur unda mari.

Pars diverſa placet. Solis converſus ad ortum
  Laberis, ut curſu Cæſaris arma juves.
Namque ubi bella movet violatâ pace tyrannus,
  Et trahit armatas per tua regna rates;
Occurris tumidis hoſti violentior undis.
  Barbarus adverſis ire laborat aquis.
Auſtriacas contrà prono vehis amne carinas,
  Agmina quæ celeri gurgite noſtra ferunt.
Miles & annonâ facis ut numeroſus abundet,
  Nec timeant inopes caſtra remota plagas.
Quæque procùl noſtrâ reſecantur pabula falce,
  Puppibus innumeris in loca juſſa vehis.
Utilis es nobis igitur, contrarius hoſti:
  Et facit ad laudes utraque cauſa tuas.
Nec tantùm remo es, veliſque minoribus aptus,
  Flumine vectantur bellica roſtra tuo.
Certior à rapido victoria gurgite pendet,
  Parſque tibi cæſo laudis ab hoſte venit.
Iſta tuæ quamvis pars ſit celeberrima famæ,
  Plura tamen, meritò quæ referantur, habes.
Non, ſi velocem dicam tibi cedere Rhenum,
  Fallar. Neptuno judice major eris.
Ille licet Druſi ſit adhuc à cæde ſuperbus,
  Non ſua facta tuis eſſe minora negat.
Humida nec refert quod cornua pampinus ambit,
  Et ripâ vites jactet utrâque ſuas.
Major ab Hungaricis tibi gloria provenit uvis,
  Quas auro ſimiles aurea nutrit humus.
Non ego crediderim, ſuperis ad feſta vocatis,
  Dulcius hoc ipſum nectar habere Jovem.
Ipſe tibi pater Eridanus certare recuſat,
  Alpinis nivibus quamlibet auctus eat.
Devovet hunc merſis tumidum vicinia villis,
  Et queritur limo rura nocente tegi.
Sæpe viatores ſubitæ rapit impetus undæ,
  Corporaque Hadriacis pallida volvit aquis.
Tu

Tu placidus ſemper, tu nulli injurius erras,
  Altaque currentes ripa coërcet aquas.
Non tibi par Nilus: licet uda ſuperbiat illo
  Ægyptus, pluvium nec roget uſta Jovem.
Hunc patriæ puduit. Tu fontis origine notus,
  Agmina Nympharum candida mille regis.
Hunc timet infidum ſitiens haurire viator.
  At te ſecuro quilibet ore bibit.
Ripa caret monſtris: quæ celat arundine fallax
  Nilus, & humanâ cæde cruentus alit.
Nec Moſa, nec rapidus dubitat tibi cedere Scaldis,
  Quem Thetis ad fontem vertere cogit iter.
Vincitur ille mari refluo. Tu victor in altum
  Tendis, & æquoreas cedere cogis aquas.
Vique celer tantâ tumefacta per oſtia rumpis,
  Guſtetur medio dulcis ut unda freto.
Non tibi par nomen Gallorum regius amnis,
  Lilia quantumvis Sequana jactet, habet.
Hic breve neſcio quod ſpatium telluris oberrat.
  Quà patet Europæ terminus, omne tuum.
Ruſticus eſt, alios ſi quis tibi comparet amnes.
  Neſcit opes urnæ divitiaſque tuæ.
Quid referam, vaſto diviſis gurgite ripis,
  Ut vitreæ multo piſce natentur aquæ?
Mole graves tantâ gremio quos paſcis, ut illis
  Vix majora capax corpora pontus alat.
Quid quod partitos ſecet inſula plurima fluctus,
  Hæc numeroſa feris; arcibus illa minax.
Hæc domibus villiſq; frequens; hæc porrigit amplã
  Planitiem, & culti jugera multa ſoli.
Binaque quæ circum lato ſe gurgite fundunt
  Brachia, par Rheno ſingula flumen habent.
Quis numeret populos, & quas vagus alluis urbes?
  Fas mihi tam longas non fuit ire vias.
Naïades (vobis uſu notiſſimus amnis)
  Vos mihi (ſi merui) pandite fontis iter.

Dicite quas findat terras ab origine prima,
  Quoque fatigatas æquore condat aquas.
Quæſieram. Nitidas ſubitò mihi nare per undas
  Nympharum viſus, Naïadumque chorus.
E quibus una movens rorantes fronte capillos,
  Quos petis, errores accipe fontis, ait.
Suevia naſcenti patria eſt : ubi frondibus altum
  Stat nemus (id nigrum ſecula priſca vocant.)
Ilicibus tecti ſubter cava viſcera montis
  Cryſtallo ſimilis regia noſtra nitet.
Rorat tota domus : muſcoque ambita virenti
  Æternos fluctus vena perennis alit.
Hìc jacet umbroſa redimitus arundine frontem,
  Danubiuſque ſuas creſcere ſpectat aquas.
Urna capax humero ſubſternitur uda ſiniſtro.
  Argento duxit Mulciber illud opus.
Auratumque pater, regali jure, tridentem
  Continet. Hoc Nymphis imperat ille ſuis.
Flectitur hìc, lentoque meat per paſcua gyro.
  Invitum patriam deſeruiſſe putes.
Mox Bavari ſpatioſa celer per rura volutus,
  Eminus alta Ducis tecta laremque videt.
Heroëmque procul bellatoremque ſalutat,
  Barbara qui trepidâ perculit arma fugâ.
Scandere quem Nymphæ Taurini vidimus arcem,
  Et mediis Savi fluctibus ire trucem.
Nec potuêre Scythæ vallum foſſaſque tueri.
  Omnia victrici capta fuêre manu.
Ergo ubi Danubius, peregrinis auctus ab undis,
  Præteriit Bavari pinguia rura ſoli.
Mox terras ſubit Auſtriacas : ubi Cæſaris urbem,
  Mœnia terrarum Principe digna, rigat.
Sæpiùs hic turres, & turribus addita templa
  Spectamus Nymphæ, Cæſareamque domum.
Cernimus & muros & propugnacula cælo
  Ducta, nec hoſtili tranſilienda pede.

Barbarus hæc olim petiit ; ſed marte ſiniſtro.
  Pulſus ad Euxinas ille redivit aquas.
Vix fuga ſervavit paucos de millibus hoſtes.
  Illa fuit Lothari gloria priſca Ducis.
Hactenus urbs invicta ſtetit. Quâ ſoſpite Numen
  Auſtriacæ curam gentis habere liquet.
Inde per Hungariam flumen devolvitur : à quo
  Terra ferax laudem fertilitatis habet.
Scilicet armentis & munere lactis abundat,
  Prataque ſunt nullo tam ſpatioſa loco.
Navita præteriens denſas videt ire per herbas,
  Ventre tenus tectos, agmina tarda, boves.
Quid te Drave canam? vada quid piſcoſa Tibiſci?
  Et quæ Save tuum ſaxa morantur iter?
Atque alios claris ortos de fontibus amnes,
  Hungara qui variis partibus arva ſecant?
Omnes Danubius gremio quos accipit : & qui
  Majori perdunt nomen in amne ſuum.
Quoque loco coëunt, cæſis victoria palmam
  Hoſtibus Eugenio ſanguinolenta dedit.
Turcia bis cæſa eſt illo ductore : tulitque
  Impia perfidiâ prœmia digna ſuâ.
Poſt geminam pugnam duo propugnacula cepit,
  Litus ad Eoum jam patefacta via eſt.
Hinc Geticas, Iſter mutato nomine terras
  Alluit : exilii litora, Naſo, tui.
Oſſaque vatis habet fatalis ripa. Quod unum
  Pierides vellem non meminiſſe deas.
Sæpiùs Auguſtum triſtes humileſque rogarunt,
  Parceret ut tanto Principis ira viro.
Utque mori ſaltem terrâ propiore daretur,
  Barbara nec cineres vatis haberet humus.
Reppulit orantes immitis Cæſar. At illæ
  Nunc quoque, ſe ſpretas cùm meminere, dolent.
Ut tamen æterni ſupereſſet fama ſepulchri,
  Candida marmoreus contegit oſſa lapis.

Quem ſuper hunc Muſæ verſum poſuiſſe feruntur:
  Non tulit huic ætas, nec feret ulla parem.
At tu, qui celebrem fluctu prælaberis urnam,
  Gaude. Pars famæ naſcitur inde tuæ.
Ille tuum grato celebravit carmine nomen,
  Nam Getico per te tutus ab enſe fuit.
Quod ſupereſt, Parthos à læva reſpicis arcus.
  Ultimus Euxinas verberat amnis aquas.
Dividat ut fluctus ſeptena per oſtia Nilus,
  Oſtia ſex Iſtro, nec minùs ampla, patent.
Et potuit quondam ſeptena per oſtia labi.
  Septima vicinum nunc facit unda lacum.
Magnaque pars vatum meminit ſeptemplicis Iſtri.
  Haud alio priſcis nomine notus erat.
Hæc Nymphæ cecinêre ſui præconia fontis:
  Ipſe ſalutatas deſeruique deas.
Danubiumque videns gelida ſub valle jacentem,
  Auſus ſum tenui pauca referre ſono.
Salve nobilium pater & moderator aquarum,
  Cui ſimilem tellus noſtra videre negat.
Labere, ut æternos Caroli teſtere triumphos.
  Candida muſcoſo ſic vacet urna ſitu.
Sic careat tua ſole domus: radioſque repellat
  Frigida populeis quæ cadit umbra comis.
Sic tibi contingat luſtrare perennibus undis
  Quæ numeroſa tuis regna rigantur aquis.
Sic, dum vincendos olim properabit ad Euros,
  Prætereant fines Cæſaris arma tuos.



ELE-

ELEGIA VII.

Ad Carolum VI. Imperatorem, poſt domitos rebelles, triumphatoſque Turcas, Pacem Europæ reſtituentem.

AUrea pacato redeant modò tempora mundo,
Principium ſecli dum melioris adeſt.
Nullus ſanguineo diſcurrat crine cometes,
Atra nec ex rutilis nubibus arma ſonent.
Quæque ſolent pavidas terrere minacia gentes,
Vertat ab imperio ſigna ſiniſtra Deus.
Barbara cæleſti tremefiat terra tumultu:
Et trepident, Nilum qui Tanaimque bibunt.
Nobis ſublato Cæſar dedit otia marte.
Ferrea cum veſtris bella valete tubis.
Hungara jam rediit tellus: quâque arma rebellis
Sumpſerat; hâc veniam flagitat illa manu.
Tantaque victrici juncta eſt clementia dextræ:
Pœna fuit tantum nulla ſecuta ſcelus.
Carole parcendo creſcit tua gloria: quandò
More Dei trepidis ſupplicibuſque faves.
Divitiis etiam natos & honoribus auges,
Quorum in te tulerat perfidus arma pater.
Quamlibet indignis veniam concedere gaudes,
Supplicium factis qui meruêre ſuis.
Ecce rogat pacem, poſito perterrita faſtu,
Cæſa priùs terrâ Turcia: pulſa mari.
Illa ſolo, pontoque minax: modo ceſſit utroque.
Palma tibi ponto: palma relata ſolo.
Te Venetos, Cæſar, quos vis inimica premebat,
Hoſtili conſtat ſurripuiſſe jugo.
Barbara Corcyræ pulſabant agmina muros,
Parvaque ſpes arci, ne caperetur, erat.
Interea ad Savum miles tuus occupat hoſtem.
Ille fugâ verſis præcipitatur equis.

Fama volat: totamque replet formidine classem,
Cæsaque Turcarum millia multa refert.
Hinc novus est Venetis furor additus. Arce relictâ
Cominùs in trepidos impetus ire fuit.
Mœnibus erumpunt densi, murisque repulsos
Ferre citum cogunt ad sua vela gradum.
Vincuntur Turcæ, vinci quia posse putantur:
Spemque prior palmæ palma sequentis alit.
Hæc igitùr, Cæsar, tibi debet gloria partem.
Fortiùs exemplo dimicuêre tuo.
Libera vicino respirat Roma timore,
Et ferus à Latio jam procul hostis abest.
Victricesque aquilas sospes Germania per te,
Et subjecta tibi Belgica terra canit.
Reddita debetur tibi pax terræque, marisque.
Te dominum tellus; te colit unda suum.
Cæli magne parens, & tu regina faveto:
Cæsareis semper numina culta focis.
Vos facite, ô, domitum Carolus moderetur ut or-
Longaque tranquillæ tempora pacis eant. (bem,
Stringere nec quisquam sceleratos perfidus enses
Audeat; invito ne paret arma Deo.
Horreat Austriacos & primus & ultimus orbis.
Illos si qua parum terra timebit, amet.
Sit pariter superis curæ, quæcumque potentis
Sparsa sub imperio Cæsaris ora jacet.
Damnaque præteriti compenset ut omnia martis,
Et pecore & fructu pinguis abundet humus.
Plena fluat musto calcatis uva racemis,
Dolia nec capiant multiplicata merum.
Flava Ceres, tu farra avidis concede colonis,
Et rota sub messis pondere pressa gemat.
Qualia Saturno memorant regnante fuisse
Tempora; cum nondum Jupiter ortus erat.
Cum Jove Mars genitus; cum Marte ferocia bella.
O quantum terris intulit ille nefas!

Ille

Ille malos primus ferrum convertit in uſus;
  Ille necis tardum præcipitavit iter.
Illo Vulcanus galeas mandante cavavit,
  Parmaque de maſſæ pondere facta fuit.
Antè nec humano rubuerunt ſanguine cultri,
  Nec notum populis, jurgia, nomen erant.
Corporaque ad tumulum ducebat ſola ſenectus,
  Scindere nec fuſos Parca coacta ſuos.
Spontè dabat victum tellus inarata: nec ullo
  Vomeris aut raſtri vulnere dives erat.
Mellaque rimoſo ſtillabant roſcida trunco,
  Fontibus & primis lactea vena fuit.
Fraternum livor nondum turbabat amorem,
  Iraque Tartareis preſſa latebat aquis.
Rectum homines ſola ducti ratione colebant.
  Nullus erat fraudi, criminibuſque locus.
Ipſa ſibi virtus (pœnæ formidine demptâ)
  Cultori pretium, cur peteretur, erat.
Omnia quæ quoniam perierunt crimine Martis;
  (Quo ſcelera & cædes nata fuiſſe liquet.)
Pace datâ, pacis renovabit commoda Cæſar,
  Saturnuſque ſui temporis alter erit.
Subjectoſque reget populos princepſq;, paterque.
  Cæſareæ dos eſt hæc geminata domûs.

ELEGIA VIII.

In obitu Sereniſſimi Archiducis Leopoldi, dum ei poëma de Inſtitutione Principis paratum erat.

DUm tibi naſcenti veram, Leopolde, politi
  Principis effigiem noſtra Thalia parat:
Jamque opus exactum ſacris appendere cunis
  Geſtit, & ante tuos ponere læta pedes:
Dira per Europam, volucrique nigerrima pennâ
  Fama volat: mortis nuntia fama tuæ.

Pro-

Protinus excuſſi digitis cecidêre libelli,
  Pars ſimul eſt animæ viſa perire meæ.
Principe ſublato, ſubiit miſerabile flammis
  Tradere, vel liquidis ſpargere carmen aquis.
Quis præcepta ferat cineri? quis carmine manes
  Inſtruat? heu! ſenſu funus & urna caret.
Nec mora, conſtructos properabã mœſtus ad ignes.
  Urere jam lacerum dextra parabat opus.
Talia tentantem delapſus ab æthere Phœbus
  Terruit, injectâ continuitque manu.
Obſtupui: ſenſique metu riguiſſe capillos.
  Torva Dei facies cauſa timoris erat.
Impie quid laceras vates tua viſcera? dixit.
  Me quoque, ſi neſcis, per tua damna petis.
Tu calamum præſtas: ego ſum tibi carminis auctor.
  In mea nîl proprii munera juris habes.
Adde quod Auſtriacos eadem dementia lædat;
  Crimine quo nullum turpius eſſe poteſt.
Perdere quis furor eſt ſacræ præconia ſtirpis,
  Quæque per auguſtos geſta canuntur avos?
Hæc tu cuncta dabis nigræ populanda favillæ?
  Non hoc ſublati Principis umbra probet.
Ille quidem eſt patri præreptus; at æthere ab alto
  Deſpicit exiguas, quas habet orbis, opes.
Nec velit, ut liceat, peritura ad regna reverti,
  Imperii ſortem qui melioris habet.
Confer cum cæli ſpatiis ingentibus illam
  Quam colitis terram: pulveris inſtar erit.
Hìc dolor, & triſtes agitant præcordia curæ:
  Illìc ſollicito corda timore vacant.
Volvitur in præceps, fluvioque fugacior hæc eſt:
  Illa ſenectutis pondere vita caret.
Hìc reges dubii turbant diſcrimina martis:
  Illìc ſecuræ tempora pacis eunt.
Denique veſtra mari, tumidiſque feritur ab undis:
  Naufragii ſors eſt illa ſoluta metu.

O quanto melior, veſtrâque beatior illa
(Utraque ſi juſtâ lance probetur) erit!
Et quiſquam pueri ſortem lugebit adempti;
Aut reducem terris ſiſtere poſſe velit?
Hunc ego convincam tenebris poſtponere lucem;
Exilio patriam, carceribuſque domum.
Nec refert, tua quod Leopoldo ſcripta ſit uni
Pagina: quâ Princeps erudiendus erat.
Quod multis prodeſſe poteſt, ne ſupprime carmen.
Utilitas merces certa laboris erit.
Tu modò præceptis documentum hoc adjice; Prin-
Ut ferat ex æquo ſortis utramque vicem. (ceps
Sæpe ſolet tranſverſa Deus miſcere ſecundis:
Omniaque arbitrio verſat agitque ſuo.
Ipſæ aquilæ, imperii quæ ſunt certiſſima ſigna,
Aſpera conſtanti pectore ferre docent.
Pernices ſublimè volant: nec iniqua retrorsùm
Ventorum rabies, nec gravis imber agit.
Ipſa juvat potiùs tempeſtas: ipſa volantes
Promovet: & pennas fortior aura levat.
Æthere mox puro lætantur, & infima ſpernunt
Nubila: ſublimes nulla fatigat hiems.
Hæc eſt Auſtriacæ veriſſima gentis imago.
Magnanimum frangit nulla procella genus.
Quæ vitare nequit mala, fert, mollitque ferendo.
Atque animum ſortis ſpe melioris alit.
Quàm citò mutavit vultum Fortuna priorem!
Nubila nunc: modico tempore læta venit.
Jupiter & pluvias & apertos mittere ſoles
Gaudet: & autumno proxima ſævit hiems.
Frigora nunc pellunt redeuntis tempora veris:
Nunc fruges æſtas pulverulenta coquit.
Nec ſemper tumidæ ſpumant Aquilonibus undæ:
Sæpe etiam nautis æquora tuta patent.
Omnia ſic vicibus ſuperi mortalia vertunt.
Nîl humilis, firmum quod manet, orbis habet.

Hæc monuit : vatemque ſimul terraſque reliquit
Phœbus, & ætheriâ ceſſit in aſtra viâ.
At mea diverſo rapiuntur pectora motu.
Quò ferar, incertum eſt : conſiliumque fugit.
Ipſe recens prohibet flammis violare poëma
Cynthius; & famæ credere mandat opus.
Invida fata negant, fortunaque Principis obſtat.
Quis canat ad ſurdos carmen inane rogos?
Dî facite Auſtriaco novus ut de ſanguine Princeps
Compenſet mœſtæ damna priora domûs:
Longa cui triplices evolvant ſtamina Parcæ,
Abſtineantque avidæ ſcindere fila manus.
Ille leget, fratri vates quodcumque paravi,
Alteriuſque heres carminis alter erit.
Hâc ſpe Muſa tibi ſupplex ſua munera defert.
Accipe votivum maxime Cæſar opus.



LIVINI MEYERI DE INSTITUTIONE PRINCIPIS LIBRI TRES.

DE INSTITUTIONE PRINCIPIS

LIBER PRIMUS.

DIfficiles Heroum ortus quæ cauſa retardet,
Et quas, progenies regum jam nata, per artes
Sit formanda, cano. Vati parete canenti
Vos quibus imperium mundi committit ab alto
Numen, & optatos ſpondet Lucina nepotes.
Magnæ molis opus, mentem inſpirare juventæ
Sublimem, atque ipſis virtutem affundere cunis.
Dein ſcelerũ genus omne, trucemq; avertere peſtem:
Ne qua lues ſerpatque animo, fundatque venenum.
Præcipuè hic Muſis ſudet labor. Omen ab ipſo
Proles lacte trahit: ſpes hinc cenſenda futuri.
Adſis ô, faveaſque pater, qui pectora vatum
Fonte rigas ſacro, & cæli ſuper ardua tollis:
Adſis, propoſitoque pares in carmina vires
Suffice, & ignavum remove de pectore frigus.
Tuque adeò Scythicum terres qui claſſibus Iſtrũ,
Eoaſque fugas acies, celereſque ſagittas
Parthorum, domito ſi jam vacat hoſte reverti,
Et capiti meritas Pindo decerpere lauros,
Cæſar ades: tibi ſurgit opus. Data maſcula cælo
Progenies te læta vocat: quam maxima Divûm,
Auſtriacæ tutela domûs, matrique patrique
Detulit, & morti ſtirpem ſubduxit avaræ.
Sic equidem ſpondebam animo, ſic vota ferebant
Europæ, multa ut faceret te prole parentem
Auguſti conſors thalami. Qua dignior inter
Teutonicas numquam ſurrexit origine matres,

Seu

Seu formam ſpectes, ſeu mores, ſeu genus alta
Stirpe ducum. Dotes ſed enim ſupereminet omnes
Relligionis amor, ſuſpenſaque regia templis
Munera, & oblatus ſacris puer aureus aris.
O quæ vota piis concepta parentibus! ipſum
Dum teneris mater puerum complexa lacertis
Virginis ante aras poſuit, cæloque dicavit.
Sancte pater, tuque ô cæli regina, recentem
Accipite hanc animam, munuſq; agnoſcite veſtrum.
Quæ, precor, intactos ſpondet ſi innoxia mores,
Labis & expertes luſtris venientibus annos,
Vivat, & imperio creſcat matura paterno:
Sin aliquam admittet lethali crimine noxam
Degener, & famam laudis violabit avitæ,
Tollite, præſentique ſcelus prævertite letho.
Talibus orabant ſuperos, araſque tenebant.
Illuſtres pietate animæ! ſi quid mea poſſunt
Carmina, & ad ſeros tranſibit muſa nepotes,
Nulla dies memori victuros eximet ævo,
Auſtriacas Iſter famulo dum gurgite terras
Alluet, imperiumque aquilæ ſublime tenebunt.
Altera jam ſupereſt venturam cura juventam
Excolere, & juſtas Leopoldo ſcribere leges.
Ergò ades, & tenuem, Cæſar, ne deſpice muſam,
Dum præcepta canit, proavis quibus æmula virtus
Surgit, & ad priſcos generis formatur honores,
Æquatura patris famam, partoſque triumphos.
Diva parens rerum, cauſas mihi pande latentes,
Pauperibus partus facilis numeroſaque proles
Cur veniat, laſſetque ſinus atque ubera matrum,
Lentior auguſti naſcatur ſanguinis heres?
Interea pia magnificis altaria donis
Matrona accumulat, numenque in pignora poſcit,
Et tardum precibus cælum votiſque fatigat
Nequidquam: raro ſolvuntur viſcera partu.
Ruſtica ſimplicitas ſed enim, ſine thure, quotannis
Fœta

Fœta tumet, geminatque utero natura feraci
Progeniem: jamque ipſa penum conſumit agreſtem
Turba frequens. Tædet miſeros genuiſſe parentes.
Hæc ego: cum ſe Diva oculis Natura videndam
Obtulit. Huic ingens humeris pendebat amictus
Verſicolor, ſpecieque nitens & imagine rerum.
Namq; hìc terrarumq; orbem, & maria omnia circũ
Argento fluere, & Zephyro vada ſumma moveri
Cernere erat, bijugos Neptunum flectere currus,
Et gemmis lucere rotas, lucere tridentem:
Nereïdumque choros juxta, atque immania cete
Et ſorbere lacus, & reddere naribus undas:
Stare nemus contra, & flavis circumdare pontum
Aggeribus, viridesque agitari flatibus ornos:
Tellurem genus omne hominũ, genus omne ferarũ
Incolere, & pictas ramis habitare volucres.
Singula quæ tenui innevit ſapientia filo,
Secula dum, ingenteſque polorum condidit axes.
Omnibus his alimenta parens Natura miniſtrat
Deſuper, & toto vegetans ſe corpore miſcet.
Omniferam ſequitur, turgentiaque ubera mulget
Fertilitas, ſolerſque utero Lucina tueri
Semina, & ignotas matura vocare ſub auras.
Talia miranti, pictâque in veſte tuenti
Alma parens ſic orſa loqui. Mihi mille miniſtrant
Diverſorum operum famulæ. Circùm aſpice formas
Nympharum ætherias: tua te quæſita docebunt,
Progenies cur rara ſinu ſe regia fundat.
Nam non ante leves implet vagitibus auras
Materno erumpens utero, quàm mille morantem
Formavêre manus, vitioque dedêre carentem.
Tantum effata, fugat nubes cælumque ſerenat.
Agmen olorinis veluti dum nubila pennis
Deſerit, ima petens placido per inania gyro:
Et nunc ſumma ſuper Cynthi faſtigia pendet,
Mox ripas legit, & gelidi vaga ſtagna Cayſtri:
Effu-

Effusæque vadis volucres candentia tingunt
Colla lacu, motisque irrorant tergora pennis:
Haud aliter summo vidi crebrescere cælo
Agmina Nympharum, ac sensim propiora tenere
Culmina, jamque humiles plantis contingere terras.
At me divinus subitò circumstetit horror.
Mox tamen obtutu Divas audacia venit
Quasque notare meo, & veniendi discere causas.
  Prima nitens oculis, & latâ fronte decora
Majestas graditur, genus ipso à numine ducens.
Sceptrum dextra tenet, fulgentem læva coronam.
Tantaque sublimes crescens consurgit in auras,
Ut pedibus terras, & olympum vertice pulset.
Ipse venustatem miror, formosaque magnæ
Ora Deæ: quo vertat iter? cui dona parentur?
Tum Natura mihi dedit hæc responsa roganti.
Hæc sedes petit augustas, hæc pignora regum
Format agens, primisque decus vagitibus afflat.
Luminibusque faces & amicos fulguris ignes
Implicat, & blandum terrori miscet amorem.
Puro deinde leves irrorans nectare cunas,
Magnam animam, plenamque sui diffundit, onusq;
Ferre docet mundi, sceptrique laboribus æquat.
Marmor uti Pariis decisum rupibus olim
Cui manus artificis decus addidit, accipit ora
Vera Dei: stat forma Jovis, fulmenque coruscat.
Haud secus effingit regalem ad grandia mentem
Nympharum princeps Majestas. Nec mora cœpto
Ulla operi, requiesque datur: fugat otia Virgo,
Maturans virtutem & dignos principe mores.
Tum proceres, cunas circum longo ordine stantes
Obsequium puero, & meritos impendere honores
Diva docet, celsisque iterum se nubibus abdit.
  Dein socias, quibus egregium partita laborem,
Selectas toto Natura ex agmine Nymphas
Accelerare jubet. Galeâ Bellona comanti

Tecta caput, nodoque ſinus collecta fluentes,
Ardenteſque furore oculos circum omnia volvens,
Proſilit arma ferens, clypeum (Vulcania dona)
Fatiferoſque enſes, & acutæ cuſpidis haſtas,
Tympanaque & lituos, belli inſtrumenta cruenti.
Omnia quæ auguſtis ſuſpendere poſtibus ardet.
Mulciber his iraſque, doloſque afflaverat atris
Follibus, & ſtygiis candentia tinxerat undis.
Quòque magis noceat, bellique inſpiret amorem,
Aſpera mox pugnæ, Martiſque docere furores
Diva parat: plenis equitatum educere campis,
Et denſare virûm latera, & glomerare per ignem,
Nutanteſque animare acies, & vulnera ferri
Cruda pati, pulcræque metum contemnere mortis.
Belligeram circum (genus exitiale) fremebant
Armatæ facibus Diræ. Micat horrida torvis
Flamma oculis, ſaniemq́; vomunt cervicibus angues
Terribiles ſpiris, humeroſque ac pectora lambunt.
Imperat his Bellona ſequi quocumque feretur.
Limina tum ſpectat, fulgenteſque ære columnas,
Et faſtu ingenti minitantia culmina cælo.
Cæſaris hæc domus. Hîc priſco ſtant marmore ſigna
Porticibus longis, antiquæ gentis origo.
Interiora tenent parvi incunabula regis,
Blandus ubi molles efflat de pectore ſomnos,
Delicium patris, & ſceptri digniſſimus heres.
Evolat huc Bellona minax, Furiaſque laceſſit
Occultum ut totis inſpirent oſſibus ignem,
Atque dolos, atque arma ferant, iraſque, faceſque,
Et de vipereis abruptos crinibus angues
Conjiciant, ſtygioque aſpergant pectora tabo.
Jamque pedem tectis furibunda inferre parabat.
Obſiſtit, lævâque trucem, gladioque retardat
Juſtitia, & primos meritò ſibi poſcit honores.
Inſtantemque, & multa oculis animoque minantem
Arcet, agens retrò; greſſumque ad limina perfert.
Ni

Ni faciat: cæca arma ſonent, ferus omnia mavors
Vertat in exitium, fœdetque cruoribus orbem.
Tum duplices Aſtræa manus ad ſidera tollens,
Adſis ô, ſi juſta peto, ſi legibus, inquit,
Aſtra Deus terraſque regis: mihi cedat Erinnys,
Detque locum. Liceat noſtris manſueſcere primùm
Auſpiciis, legeſque pati quas ponit olympus,
Et belli jura, & primordia diſcere pacis.
Tempus erit, quo regna ſinam ſua jure tueri
Magnanimos reges, & pellere finibus hoſtem.
Audiit, & ſummo cæli de vertice numen
Dicta probat, primamque jubet ſuccedere tectis
Juſtitiam. Subit illa fores, oſtroque jacentem
Regalem amplexu puerum petit. Ille ubi ſenſit
Oſcula, divinumque animæ cæleſtis odorem,
Erigitur, tereteſque manus circum ubera volvit:
Nutricemque ſuam totis haurire medullis
Gaudet, & imperii primas agnoſcere leges.
Illa fovet, mollitque animos, & temperat ignes.
Quidque ferant, quid jura vetent, quid faſq;, nefaſq;
Diva docet: ne regna ferox aliena laceſſat
Ambitio, cedatque dolis & viribus æquum.
Turpe fidem violare datam, jurataque dextris
Fœdera, perfidiæque ultores temnere Divos:
Finitimos terrere metu: vexare tributo
Subjectos: tenuique inopum diteſcere prædâ.
Omnia quæ teneris pueri Dea ſenſibus indit.
Dulce rudimentum, & venturæ gloria famæ,
Principiis ſi ſera bonis reſponderit ætas.

Poſt hæc armipotens greſſum Dea ſedibus infert,
Jam melior, patienſque regi. Stridentibus alis
Diffugiunt Furiæ: quarum Æacus acer ahenis
Crura premit nodis, ſerpentumque educat atris
Viſceribus paſcens, & ſpumâ Cerberus albâ.
Evocat has, laxatque cavis furialia monſtra
Carceribus, vindex terras ſi quando nocentes

Peſte parat numen vaſtare, aut perdere ferro.
At nunc juſta fugat Diras Bellona cruentas,
Atria ne fœdent turpi regalia tabo.
Scuta quoque & gladios, & ſpicula tincta veneno,
Haſtaſque, clypeoſque, & rubras ſanguine parmas,
Ferre jubet, nigroque recondere cuncta ſub orco.
Scilicet & ſolis, quibus arma coërceat, armis
Induitur : ſi fortè minax in prælia rumpat
Parthus eques, turbetque inopino fœdera bello.
Seu patriæ reddenda quies, ferroque domanda
Seditio, & populos contra juvat ire rebelles.
Hos motus, hæc arma probat Deus arbiter æqui.
Dein placidis puerum ſtringens Bellona lacertis,
Munera parva ſinu fundit, quæ Mulciber igne
Coxerat innocuo, fulvoque poliverat auro.
Volvuntur galeæque leves, enſeſque, tubæque,
Parmulaque, & fulgens Indo lorica pyropo,
Ætneæ labor incudis. Puer omnia luſtrat
Dona oculis, audetque aciem contingere ferri:
Et belli ſpeciem feros meditatur in annos,
Par veniat dum vis animo, maturaque marti
Virtus, nec patriis impar fortuna triumphis.
Hæc inter, geminæ regalia tecta ſorores
Pax & Fertilitas ſubeunt : quarum altera olivæ
Prætendit ramum, pleno fert altera cornu
Veris opes, nitidiſque autumni dona caniſtris.
Non ultrò Bellona locum jam cedere Divis
Abnegat, atque abiens aditum venientibus offert.
Poſtquam introgreſſæ, calathis ſua munera primùm
Deponunt, placidoque addunt hæc inſuper ore.
Incipe parve puer manibus contingere ramum
Quem ferimus, mitique animum ſubmittere paci.
O quanta Auſtriacis tollet ſe gloria rebus
Auſpicio tali! pingui quæ copia terræ!
Florentes opibus populos, atque aurea cernes
Secula. Non campis ſegetes, non collibus uvæ
De-

Desuerint. Facili tellus dabit omnia partu.
Saturnique tuis succedent tempora regnis.
His dictis, pueri fœcundo tempora ramo
Ter Divæ tetigêre, ter oscula pressa dedêre.
Ast illi subitò sanguis mitescere venis
Incipit, & blando succendi pacis amore.
Ipsa ministeriis Divarum assistere gaudet
Cuncta probans, operisque levat Natura laborem.
Tum placido rerum genitrix sic ore profatur.
Aspicis ut Nymphæ, & totus conspiret olympus
Unius in pueri cultum? Fugat illa frementem
Eumenidum turbam, & natam serpentibus iram.
Hæc oculis fulgorem indit, floremque juventæ
Purpureum, & fronti lætos diffundit honores.
Illa cavet ne sanguis iners præcordia circum
Torpeat, utque animo virtus inolescat avorum.
Altera demit onus curis quæ sceptra sequuntur,
Quæque diem noctemque gravant. Hæc æthere puro
Temperat ingenio vires, arcetque stuporem.
Cælicolûm pars nulla vacat. Tu desine lentos
Incusare sinus matrum, prolemque morantem.
Haud tenuis labor est animam formare capacem
Imperii, sceptroque parem, populisque regendis.
Et jam rara colunt sceleratas numina terras,
Territa criminibus, fastusque exosa superbos.
Vixdum etiam magnis inflectimus æthera votis.
Cæsaris at pietas cælum movet. Illius ergò
Virtutum chorus omnis adest, terrasque revisit.
Neve putes faciles animis sublimibus ortus,
Cetera nunc operis specta molimina tanti.
Vix ea fata: procul sonuit clangoribus æther,
Æreaque incurvo crepuerunt cornua cantu.
Qualis ubi ruit in sylvas effusa juventus
Venatrix, cingitque cavas indagine valles.
Tum si fortè feram sublatis naribus acres
Excivêre canes: ruit hæc procul ardua montis

Terga ſuper : reſonat latratu lucus acuto.
Reſpicio, celereſque oculos per inania volvo.
Ecce ſagittiferam circum glomerata Dianam
Agmina Nympharum celſæ de montibus Idæ
Venatu referunt cæſarum ingentia bis ſex
Terga ſuûm, totidemque madentes vulnere cervos.
Eminet has inter, ſociaſque excelſior omnes
Deſpicit, & medio graditur Latonia cœtu.
Huic pharetra ex humero pendet demiſſa ſiniſtro,
In manibuſque Deæ laxatis cornibus arcus
Cernitur : infuſos collo movet aura capillos.
Hinc latus, atque illinc, maculoſo vellere pardus
Ambit, & aurati fulgent ſub cruribus ungues.
Par Nymphis cultus. Comitum Diana ſagacem
Evocat Harpalycen, qua non ſolertior ulla
Veſtigare feras, & vincere curſibus Euros.
Cui Dea : Jam prædæ ſatis eſt. Finite laborem.
Aura monet vitare graves venatibus æſtus.
Et jam frater equis ſublimem pulſat olympum.
Præcipitate moras, & juſſa capeſſite noſtra.
Eſt prope Danubii ripas auguſta receſſu
Inſula, dives opum, & ſuperis gratiſſima tellus:
Magnus ubi terras Phœbo ſub utroque jacentes
Temperat imperio Cæſar. Mihi nobile fanum
Ipſe dedit luco in medio : ſemperque recentes
Poſtibus exuviæ pendent ; canentia torvi
Colla caputque lupi, cervique fugacia nuper
Cornua, ſetigerique minaces fulmine rictus.
Olli optata diu proles jam maſcula patri
Naſcitur, & primas rumpit vagitibus auras.
Hæc mihi non vanus fert nuntia frater Apollo.
Huc celerare gradum, & captæ dare munera prædæ
Fert animus, ſtudiiſque infantem accendere noſtris.
Florentem ut dederint poſtquam tria luſtra juventã,
Incipiat nemora alta ſequi, volucrique ſagitta
Figere, vel denſis includere retibus aprum.
Dixe-

Dixerat. Extemplò Nymphæ cecinêre receptus.
Mox agilem, & querno crepitantem robore currum
Prædâ onerant, humilesque super nigrantia volvunt
Terga rotas. Capreas Lalage, levioraque Damas
Corpora fert humeris, onerataque colla cruentat.
Cornipedes jungunt aliæ, & spumantia frænis
Ora premunt: aliæ pendentia cornua tergo
Expediunt, spirisque auras ingentibus efflant.
Quatuor insignes hinc atque hinc plaustra molossi
Custodes servant, avidosque cupidine prædæ
Terrent dente canes, & hiantia vulnera lambunt.
Ut ventum ad parvi penetralia principis, & jam
Clara repercusso sonuêre palatia cornu:
Corpora nigra sues, & obeso tergore cervos
Provolvunt manibus Nymphæ, tectisque reponunt.
Tum Dea quæ silvas & opacos ilice montes
Incolit, hæc blando arridens simul addidit ore.
  Parve puer, magni spes & fortuna parentis,
Munere quem raro terris concessit olympus,
Accipe quæ ferimus venatûs præmia nostri.
Magna dabunt alii; collectas æquore gemmas,
Craterasque auro solidos, rubrique nitorem
Chrysolithi, & missos peregrino ex orbe tapetas.
Tu ne sperne, precor, neque munera despice nostra.
Fastus abest illis; sed adest secura voluptas,
Curarumque fugax animus, prædæque cupido
Innocuæ, lætusque labor. Neque numina cessant
Nostra fatigato diffundere corde soporem.
Adde quod hæc magnis placuêre heroibus olim.
Dictæas crudum haud puduit vexare leænas
Alciden, nervoque feras agitare sonanti,
Et tolerare sitim, & somnos captare sub antro.
Et nunc ille animam sublimibus addidit astris.
Utque alios taceam, memorat quos prisca vetustas,
Nostra pater, proavique, antiquaque stirpis origo,
Interdum posito coluerunt numina sceptro.

Tu quoque, care puer, ſtudiis aſſueſce tuorum,
Deſidiæque animos & edacibus eripe curis.
Dixit, & auratam ex humeris tulit illa pharetram,
Arcumque, & multâ ſatiatas cæde ſagittas;
Suſpenditque toro. Referunt veſtigia Nymphæ,
Aſſuetoſque petunt ſaltus. Dant ærea ſignum
Cornua, queis lucus procul omnis, & omnia latè
Antra ſonant; catuliſque feræ tremuêre relictis.
At puero innocuus circum calor oſſa cucurrit.
Inde ubi ter quinis ſurget natalibus ætas,
Creſcet amor ſilvæ: terrentia cornua damas,
Latratuſque audire canum, crudoſque tueri
Vulneribus gaudebit apros. Tum ſidera poſtquam
Heſperus accendet, radiis & roſcida plenis
Cynthia ſparget humum, referent imitantia veros
Somnia venatus, prædamque ſequetur inanem.
Parte aliâ, galeâ inſignem criſtâque rubenti
Adventare Deam aſpicio, cui ferreus umbo
Pectus obit, tremulaſque nitore reverberat auras.
Haſta gradum firmat ſublimi cuſpide fulgens.
Quid ferat? unde genus? quo greſſum Diva? requiro.
Tum Natura mihi, lateri quæ ſemper adhæret
Cuncta docens, ſummo natam Jove Pallada cernis.
Hanc cerebro ſine matre tulit, fuditque ſub auras
Rex ſuperûm, inque rudes juſſit deſcendere terras.
Nondum notus erat manſuetæ ramus olivæ,
Tela nec Aſſyriam diſtinxerat aurea lanam,
Cum Dea miſſa polo varias mortalibus artes
Detulit, atque animis tenebras decuſſit inertes.
Ante ſub ilicibus, vel opacæ tegmine rupis
Durabat mortale genus. Glans aſpera victum
Lapſa dabat, torrenſque nivalibus auctus ab undis
Arida limoſâ relevabat pectora ripâ.
Curia nulla fuit, non pœna nocentibus ulla.
Indomitus nullis parebat legibus orbis.
At poſtquam feritas animorum victa receſſit
Pal-

Palladis auſpicio : mox cingere mœnibus urbes
Cura fuit, nuperque habitatos ſpernere ſaltus.
Diva cavas primùm docuit ſulcare carinas
Æquora, curvatiſque Aquilonem includere velis
Juſſit : & audaces didicerunt ſidera nautæ.
Illo etiam leges Tritonia condere cœpit
Tempore, & auguſtis partiri regibus orbem.
Pierides ſimul illa Deas Heliconia tempe
Incolere, illuſtreſque ducum celebrare triumphos
Suaſit, & æternis oblivia tollere muſis.
Hæc olim, cum prima ſolo veſtigia preſſit.
At nunc Diva etiam regum natalia curat
Sidera, ne quid iners & frigidus axe Bootes
Peccet, vel nimio noceat Leo fervidus igne.
Temperies media eſt, qua parte benignior aſtris
Aura venit : ſuperis domus optatiſſima Nymphis.
Colligit hinc veri radios, queis nubila tardi
Diſſipat ingenii Pallas, mentiſque receſſus
Limat, & obtuſos accendit lumine ſenſus:
Præteritique facit memores, motuſque futuros
Præmonet, & rebus lucem præſentibus affert.
Nonne vides pueri ut frontem ter lumine luſtret
Ætherio, primoſque fuget caliginis ortus?
Felix ô, cui naſcenti ſublime Minerva
Contulit ingenium ! Non cælo illuſtrior ulla
Dos venit, & votis magis exoptanda parentum.
Regni etenim fortuna ruit, niſi regia virtus
Suſtineat, curaſque extendat ad omnia princeps,
Imperiique graves per ſe moderetur habenas.
Hactenus, & ſubitò vocem Natura repreſſit,
Avertitque gradum, & retrò tremefacta refugit.
Frondoſo veluti cum ſe movet aggere ſerpens
Lubricus, & foliis ſubter ſonat arida tellus:
Ille rubos inter reptans, mox emicat altè
Cæruleus ſquamis, horrendaque ſibila mittit:
Quem ſimul erectum ſinuoſos vidit in orbes,
Corri-

Corripuitque gradum, ſtivamque reliquit arator.
Haud ſecus incuſſit ſubitum Cytherea timorem
Viſa procul, pharetraque puer metuendus & arcu.
Illa vehebatur geminis laſciva columbis
Idalium linquens : ubi mollis amaracus aras
Thure vaporatas ſertis florentibus ambit.
Jamque propinquabat tectis, viruſque parabat,
Et pueri totis incendia ferre medullis.
At Natura graves verſans ſub pectore curas,
Hæc ſecum : Mene hanc terris avertere peſtem,
Nec poſſe obſcœnas Veneris compeſcere flammas?
Cumque ego legitimo dextras conjungere nexu,
Et caſtis ſobolem thalamis educere tentem,
Ipſa vagas Cytherea faces, fœdamque peruſtis
Viſceribus ſpargatque luem, fundatque venenum?
Quid memorem quæ damna meis conatibus affert
Improba? Vix utero proles concepta recenti,
Solvitur ante diem informis; neque matris honorem
Accipit, exhauſti vitio matrona mariti.
Nos tantum ſcelus, & furias patiemur inultæ?
Sunt illi ſua regna, Paphos, Cypruſque. Quid orbem
Subjicere imperio, mundique affectat honorem?
Dixit, & extemplò Nymphis de millibus unam
Diva Pudicitiam vocat, ac ſic ore profatur.
Vade age ſcande polum, ſuperaſque elapſa ſub auras,
Junoni mea dicta refer, cui vincula curæ
Caſta tori, Veneremque diu execrata nefandam
Fida Jovis conjux monſtris magis omnibus odit.
Quippe memor veteris, ſocia cum Pallade, culpæ:
Cum geminas victrix irriſit adultera Divas,
Judicio Paridis, partoque ſuperba triumpho.
Scilicet ex illo, cæli regione fugatam
Carcere concluſit Paphio, circumque ſonantem
Oceanum fudit, vaſtiſque coërcuit undis.
Et vetuit ne fœda polum, terraſque reviſat.
Quid tamen iſta juvant? Totum furibunda per orbem
Fertur

Fertur ovans, regumque etiam corrumpere tædas
Audet, & inſanis accendere pectora flammis.
Adſit, opemque ferat. Junoni hæc nuntia ferto.
Paruit, & nivei aſſumens inſigne pudoris,
Virgineas poſuit circum ſua tempora vittas.
Inde, velut nervo fertur ſtridente ſagitta
Alta petens, fallitque aciem, & ſe nubibus infert:
Haud aliter Zephyros ſuper & convexa ſerena
Nympha volat, notiſque Deæ cita ſedibus adſtat.
Purpureo gemmiſque gravi regina ſedebat
Sublimis ſolio, & ſceptrum regale tenebat.
Quæ ſimul aſpexit ſubeuntem ſidera Nympham
(Novit enim, & teneræ præfecerat ipſa juventæ)
Quæ cauſa impulerit commiſſas linquere terras
Effari jubet. Illa oculos demiſſa modeſtos
Cuncta refert, Veneriſque pudenda piacula narrat.
Quam me virginibus voluiſti impendere curam,
Maturaſque viro & thalamis ſervare pudicis,
Illecebris Cytherea ſuis, dulcique veneno
Abripit, & cæco cogit ſervire furori.
Quid memorare juvat ſcelerũ numerumq́, modum-
Nulla veneficiis ſecura furentibus ætas. (que;?
Virginitaſque, pudorque jacet: connubia ſervant
Rara fidem: cedunt victricibus omnia flammis.
Nec Cypro contenta coli. Scelerata per orbem
Explicat imperia: & populis ditione ſubactis,
Nunc etiam regum temerare cubilia tentat.
At Natura parens tantum perferre dolorem
Poſſe negat, ſupplexque tuis advolvitur aris.
Affer opem, Veneremque doma. Niſi pronuba falsò
Diceris, & thalamis vindex dare jura maritis.
Talibus inflammata animum Saturnia dictis,
Irim purpureo deſcendere juſſit olympo,
Hæc Veneri mandata ferat. Procul orbe faceſſat
Lena procax, Cypronque petat, turpeſque receſſus
Idalii: vel Lemniaco clam regnet in antro,

Claudus ubi pulcram accipiat, foveatque maritus.
Mollia quid totum contagia mittit in orbem?
Ergo illi mea jura licet violare? pudicos
Criminibus maculare toros? confundere ſemen
Ambiguum? numenque impunè laceſſere noſtrum?
Non ita: dum ſupereſt jaculandus nubibus ignis.
Necdum Helenæ raptus, Paridiſque infamia furta
Exceſſêre animo, non belli cauſa nefandi,
Pœnaque raptoris. Tumidam meminiſſe decebat
Excidii Troiæ, & vindex quid dextera poſſit.
Rumpe moras, Venerique hæc fer regalia juſſa.
Cedat humo, populoſque levet, pontumque reviſat
Natalem, & ſpargat torvis incendia monſtris.
Dixit, & accendit veteres quoque Palladis iras.
  Iris at interea multa vi ſulfuris arcum
Imbuerat, piceaſque onerarat grandine nubes.
Imbris cærulei radios, Auſtroſque ſonantes
Addidit, & ruptis caſuros nubibus ignes.
Jamque ſub adverſum deſcendit turbida ſolem.
Nec mora, præcipitant nimbi, tonat arduus æther:
Reſponſant valles, revolutaque murmura reddunt.
At ſimul hanc cæli ardentem regione propinqua,
Fulminibuſque polos, terraſque micare coruſcas
Conſpicit alma Venus: pavidas fulgore columbas
Flexit, & Idaliis præceps ſe condidit umbris.
Quippe animo, quid Diva ferat, præſenſerat. Illam
Riſit, & his profugam verbis Natura ſecuta eſt.
I, pete dotales tenebras Vulcania regna,
Cyclopumque domos, & nigris tecta caminis
Horrida. Quid ſtygio differs incendia regi?
Furva tibi ſteriliſque ſinu Proſerpina dudum
Supplicat, & prolem magno pro munere poſcit.
Nos, ſine te, dulces dabimus cum fœnore natos
Cæſaribus, caſtoſque effuſo nectare mores.
Poſtquam pulſa Venus, nondum ſecura quievit,
Extimuitque dolos. Reducem Junonis ab arce
Diva

Diva Pudicitiam verbis compellat amicis.
O dilecta mihi ante alias, qua ſoſpite terris
Conſtat honos, thalamiſque fides, & priſca juventæ
Simplicitas: tibi florentes committimus annos,
Cæſareæque domûs ſobolem. Tu limina cuſtos
Prima tene, fallax ne rumpat in atria peſtis,
Diſſimulans cultum, & formam mentita priorem.
Blanditias Veneris comites, riſuſque ſalaces
Pelle procul. Mihi crede, latens Cytherea ſub illis,
Occultum per iter, vixque obſervabile ſerpit.
Mille artes illi, ſpecies ſunt mille nocendi,
Inſidiæque, dolique, & fucis illita ſemper
Forma novis: laqueis perit irretita juventus.
His monitis edocta, ſubit penetralia virgo
Principis, atque artes puerum præmunit ad omnes;
Illecebræque fugax, & non penetrabile pectus
Fraudibus Idaliis, ſtimulis accendit honeſti.
Illi paulatim calefacta per ora cucurrit
Virgineus pudor, & torpens ad lubrica ſenſus.
Felices animæ, quas nulla Cupidinis aura
Contigit innocuas! Species formoſior oris
Emicat, ingenuoque niteſcit flore juventus.
Sic ubi vere novo radiis pinguntur eois
Narciſſi, violæque, & olentis germen anethi,
Ambroſiæ fulſêre comæ: dant prata colores
Mille novos: minio tellus variata ſuperbit.
At Natura gravi gaudens defuncta periclo,
Et cœpti ſtudioſa operis, properare miniſtras
Læta jubet, meque his compellat vocibus ultrò.
Aſpicis ingenti quàm ſint formanda labore
Pignora, quæ regnis olim ſuprema paternis
Jura dabunt. Non ſic rapidis exercita flammis
Unda furit, vitiis virtus ut certat, & ingens
Indomitis pugnans ſurgit quæ gloria monſtris.
Nullam animis dat Tiſiphone truculenta quietem,
Irritans diras æterna in bella ſorores.

Hinc

Hinc Odiũ, hinc Vindicta ferox, hinc Ira lacessit,
Terribiles visu formæ : hinc præcordia cæcis
Motibus Ambitio ferit, exuritque medullas
Invidia, & tortos agitat per colla colubros.
Has Erebi furias contra Clementia cælo
Nata venit, niveoque Fides insignis amictu,
Finibus & contenta suis, nec honoris avara
Simplicitas, & Pax oleâ redimita capillos,
Et Pudor, & regum nectens Concordia dextras.
Hæc olim innocuas habitabant numina terras,
Cum rerum facies & mundi forma recentis,
Astraque spirabant blandos sine crimine mores.
At postquam Impietas stygiis caput extulit undis,
Et vitiorum acies, sceleratique agmina Ditis
Invasêre animos, & summa mentis in arce
Sedit sceptra tenens Insania : protinus omnes
Excessêre Deæ, & terras liquêre nocentes.
Ex illo, mortale genus rationis habenas
Deseruit, cæcoque furentia corda tumultu
Error in omne nefas & bruta licentia solvit.
Sic quondam eversis magna vi spumeus amnis
Aggeribus furit, & secum rapit omnia victor.
Præcipuè mihi cura, animos contagia contra
Regales tegere, & superûm virtute tueri.
Quippe vides Divas tot opem mihi ferre potentes,
Agmina quæ nigri contra luctantur Averni.
At precibus si fortè meis non flectitur æther,
Et renuunt cælo faciles descendere Nymphæ,
Malo equidem regum natales vertere stellas,
Et partus differre uteri, quàm pignora nasci
Stirpis in opprobrium, & sceptris indigna paternis.
Nondum animo torvi species elapsa Neronis,
Quo monstro Latium omne, aspersaque sanguine
Horruit, & cæsæ patuerunt viscera matris. (Roma
Tum mihi quærenti partu cur rustica crebro
Progenies subter nigrantis culmine villæ
Luxu-

Luxuriet? Nympham Natura oſtendit agreſtem
Matre ſatam terrâ, & verbis his ora reſolvit.
Illa (vides?) viridi intexit quæ tempora ramo,
Non cæli regione venit, non ſemine Divûm.
Progenuit lucus, craſſiſque vaporibus aër.
Hinc ſaltus & rura colit: quam plurima circum
Faunorum turba exultat, Dryadeſque puellæ,
Semideûm genus, & Satyrorum gnava juventus.
Hæc viles animas & agreſtia corpora curat,
Stramineaſque caſas numeroſis fœtibus implet.
Non prece, non votis opus eſt, non munere ſacro:
Spontè venit, facileſque manus prægnantibus affert.
Non ullas operis ſocias, ignemve moratur
Ætherium. Satis eſt informi accedere maſſæ
Vitales motus animæ, promptumque labori
Ingenium, & duro formandum corpus aratro.
Ipſa puerperii mater ſecura recentis
Aut olus abſenti defert, aut liba marito,
Bina ſub exerta conſtringens pignora mamma.
Ille ſub ardenti maturam ſidere meſſem
Falce metit, pinguique artus ſudore fluentes
Conjugis obſequio relevat. Dein oſcula natis
Dividit, & manibus circùm blanditur & ore.
Sic pluviæ patiens, ſic ſolibus apta ferendis
Ruſtica duratur ſoboles, atque ubera prenſat
Grandia, dum ſaturos facilis ſopor occupat artus.
Tum ſi fortè ruunt animoſi in prælia reges,
Corpora ſortiti plenis robuſta maniplis:
Audaces in martem animos, generoſaque villæ
Agmina ſuppeditant. It bello ruſtica pubes
Docta hiememque ſitimque pati, tum ſub Jove ſomnos
Ducere, & ingluviem crudâ ſatiare ſuillâ.
Barba per hirſutas diſcurrens plurima malas
Prominet in mentum. Stant nigris horrida ſetis
Pectora, nervoſique humero ſub utroque lacerti
Fulmineum torquent inimica per ilia ferrum.

Et

Et nisi ruricolis multam Natura ministrem
Progeniem, raro defendere milite vallum,
Nec campis acies valeant educere reges.
Quin juvat exemplis etiam levioribus uti.
Ipse vides ut alat tellus animalia passim
Vilia, formicasque sinu diffundat, & ingens
Copia reptilium fulvâ spatietur arenâ.
Tum culicum genus, & muscarum ignobile vulgus
Ludit, agens gyros denso per inane volatu.
Tardior at Libycos eadem generare leones
Nititur, & tanta sub majestate laborat.
Nec non & cedros quercusque in secula differt:
Lentaque nodoso tenduntur brachia trunco.
At tribulos, lappasque, & acutâ cuspide vepres
Prodiga trudit humus. Nec iniquis aspera dumis
Bruma nocet: non, si rutilo tonet arduus igne
Jupiter, hirsutæ violentur fulmine frondes.
Usque adeo facili veniunt vilissima partu,
Et speciem, ventis agitato semine, servant.
Quin & melliferæ volucres, sine conjugis usu,
Pinguibus è foliis, & puro ex rore pudicos
Exsugunt fœtus. Nova mox examina strident,
Veris opes, lentoque extendunt glutine cellas.
Visceribus quoque corruptæ (mirabile dictu)
Emicuêre bovis: vitasque è sanguine putri
Attollunt, reparantq; genus. Tum cortice condunt
Mella cavo, regemque favis stirpique sonoræ
Præficiunt, fidumque alacres testantur amorem:
Sive opus est servare lares, sive agmine denso
In martem ruere, & fucos arcere rapaces.
Omnibus idem ardor, mandata capessere regis.
Quod decus humanæ veniet, quæ gloria stirpi,
Si fidas imitetur apes, & regia discat
Frena pati. Sed enim populos furiosa rebelles
Seditio inflammat, scelerataque corripit arma
In patriam, immeritosque cruentat cæde penates.
At

At mihi si multum expertæ, si vera monenti
Creditur, & longæva fidem Natura meretur:
Extera non tantam, quantam arma domestica cladẽ,
Exitiumque ferunt, vertuntque à culmine regna.
Hactenus Eöas victrix concordia sprevit
Vestra minas, spernetque: cadet gens barbara ferro.
Non si mille acies, diversique agmina mundi
Quæ Tanaim Nilumq; bibunt, quæq; Eurus anhelis
Afflat equis, terris abrumpant fœdera nostris,
Teutonicas ferro valeant violare phalanges.
Vidimus Odrysios olim prope mœnia magni
Cæsaris irrupisse duces. Centum agmina curvis
Ordinibus cinctæ quatiebant saxa Viennæ:
Centum aditus nemorũ, & præruptos undiq; montes
Obsedêre. Vagis stabant tentoria campis
Clara auro intexto, & niveis fulgentia velis.
Dives equis, divesque viris exercitus, & cui
Marte parem numquam submisit barbara tellus.
Ut tamen Austriacæ, numero licet impare, celsis
Montibus effulsêre acies, clangorque tubarum
Insonuit, mediusque accendit prælia Mavors:
Mox Lotharus Bavarusq; duces trepidantia rumpũt
Agmina, præcipitesq; premunt, feriuntq;, necantq;:
Castra eversa ruunt. Pars, quà fuga tuta, per umbras
Evadunt nemorum: pars lora fugacia campis
Effundunt. Densis Ister se erumpere nescit
Corporibus, stragemque Euxino evolvere ponto.
Interea niveis plaudens victoria pennis
Notas circum aquilas, & Cæsaris ora volavit.
Tantùm invicta valet concordia: dum celer Istro
Vistula mittit equos, Bavaræque Polonica virtus
Jungitur, Austriacumq; accendunt omnia martem.
Ut verò attonitum clades dispersa per orbem,
Famaque victrices aquilas Orientis ad oras
Pertulit, atque Asiæ mœstas penetravit ad urbes:
Fleverunt procul Eöæ sua funera matres,

Bellaque damnarunt pactæ contraria paci,
Perfidiamque, nefasque, & fœdera fraude soluta.
Hæc me cuncta parens docuit Natura: Camœnis
Materiemque dedit, monitusque adjecit amicos:
At tu, quando favens musis aspirat Apollo,
Et faciles Cæsar præbet tibi maximus aures,
Incipe, ait, mea jussa sequi, parvosque nepotes
Austriadûm patriæ virtuti aptare canendo.
Quid matrem imprimis deceat curare: quid ipsam
Nutricem: tum quæ vigili præstanda magistro,
Cujus ab auspiciis artemque modumque regendi
Accipiet Princeps, in lucem efferre memento.
Magna tibi nostræ promittunt munera Divæ,
Auxiliumque ferent. Dixit, tenuesque sub auras
Naturæ ex oculis fugiens evasit imago.
Pandite nunc mihi sacra novem præcepta sorores.
Nunc opus arcanas animorum evolvere leges,
Virtutique viam monstrare, & pellere tardam
Pectore segnitiem, vigilesque accendere curas.
Tuque pater celso Pindi de vertice vati
Annue, divinumque animis immitte furorem.
Da cunas animare sacras: da magna parentis
Jussa sequi: rerum quando mihi nobilis ordo
Nascitur, & sublimis agit super æthera fervor.



DE INSTITUTIONE PRINCIPIS

LIBER SECUNDUS.

MAturum poſtquam vitales mater in auras
Fudit onus, partuq; uterum fœcunda levavit:
Ipſa ſuis puerum accipiat foveatque tenellum
Uberibus, niveumque miniſtret pectore rorem.
At ſobolem ignoto caveat malè credere lacti,
Territa criminibus, quæ plurima ſerior ætas
Prodit, & attoniti ſerò luxêre parentes.
Sanguine (ſi qua fides priſcis) atque illita felle
Ubera nutricis perhibent ſuxiſſe Neronem,
Atque illum hinc primâ feritatem hauſiſſe juventâ.
Nec mites animos Romanæ conditor urbis
Accepit nutrice lupâ. Surgentia cædem
Mœnia teſtantur, madefactaque ſanguine tellus
Iliaco, & ſpumans fraterno vulnere ferrum.
Uſque adeo vitioſa nocent alimenta, cruorque
Degenerat. Subeunt mores altricis, & ipſam
Oblitæ matrem rapiunt contagia venæ.
Hoc Natura cavens, vegetos parientibus ultrò
Sufficit humores, & alendæ prolis amorem
Inſpirat. Viden', ut proprios animalia fœtus
Cruribus admittant lactentibus? Urſa recentes
Rupe ſub exeſa catulos, informia lambit
Corpora, & hirſuto ſitientes ubere paſcit.
Et memor abſentis duro ſub vomere pulli
Hinnitu fremit impatiens equa fœta: nec umquam
Mater ovis, ſero rediens ad ovilia paſtu,
Deſeruit balantem, & ab ubere reppulit agnum.
Quin etiam (ſenſum quamvis natura negavit

Arboribus) laurus ſub odoræ tegmine frondis
Germina quot miſit, tot alit radice, nec humor
Nativus patitur ſubjectam areſcere ſilvam.
Tantus amor matrum, & ſervandæ gloria ſtirpis.
Has Natura dedit leges, ea fœdera ſanxit.
Si tamen aut acres Lucinæ experta labores
Langueat, aut lactens reginam deficit humor:
Illuſtris, veterique ducum de ſanguine nutrix
Accerſenda, ſinu puerum quæ blanda recentem
Excipiat, foveatque pio genitricis amore.
Ubera cui pleno tendantur candida ſucco.
Cui neque blanditiæ, neque morum gratia deſit,
Ingeniumque ſagax, florenſque ætate juventus.
Ne minus, aut luſtris niteat plus quinque peractis.
Namq; animos tener, & generoſum à lacte vigorem
Accipiet, multumque trahet pulmonibus ignem.
Præterea quædam altrici vitanda monebo,
Parva quidem, nocitura tamen, niſi cura fidelis
Arceat occulti ſerpentia ſemina morbi.
Ergò & faſciolæ, & nivei velamina lini
(Belgica quæ tenui nevit ſubtegmine tellus)
Obvolvant teneros artus. Ter luce madentem,
Ter tenebris crepitante juvat ſiccare favillâ.
Namque humor latera & ſuras ſale mordet edaci.
Quid noceat certis poteris cognoſcere ſignis,
Indiciumque dabit crebris vagitibus infans.
Nam vel acûs tenui vexatur acumine, ſpiris
Arctiùs aut premitur molles ſtringentibus artus.
Proxima nutricis ſit cura, arcere minutis
Immiſſam rimis hiemem, nebulaſque nocentes,
Et totis Boreæ ſtridorem avertere tectis.
At poſtquam vernis aperit ſe floribus annus
Mitior, & Zephyros infans patietur apricos,
Maxima tum preſſis cura eſt adhibenda lacertis
Ne caput in tergum flexâ cervice dehiſcens
Mollia nodoſæ labefactet vincula ſpinæ.

Hinc

Hinc etenim aut læsâ gibbi excrevêre medullâ,
Cardine dum motæ duplicantur tergore costæ:
Aut lateri brevior crescens mensura recurvo
Clauda parit sensim vestigia. Provida nutrix
Arctiùs adstringens humero nutantia colla
Excipiet, flexusque arcebit cauta supinos.
Hæc levis, ætati sed debita cura tenellæ.
Deinde ubi sol radiis sitientem accenderit annum,
Dum siccus furit igne canis, multoque viator
Sidere languentes declinat frondibus æstus;
Atria ne pateant, rapidoque obversa calori
Flumineâ spargantur aquâ. Tum plurima solem
Silva fuget, thalamisque umbram diffundat amicam.
Proderit & virides circum atria ponere lauros;
Pomaque odoratis citri rutilantia ramis:
Quas Latium stirpes & dives mittit Iberus.
At vigilans postquam rationem admittere sensus
Cœperit, & puero jam septima ducitur æstas:
Majus opus superest, animum exercere colendo,
Ne qua per occultas inolescant crimina rimas.
Quippe vel extremo quærendus ab orbe magister,
Ingenioque annisque gravis; cui plurima Pallas
Dona tulit, totoque affudit pectore numen.
Et cultu Divûm, & nulli probitate secundus.
Non aliter quàm cum roseo mercator ab ortu,
Emensus varios pelagique hiemisque labores,
Detulit Eöâ fulgentem luce pyropum.
Summa micet dotes inter prudentia. Ne sit
Aut præceps animi, aut pœnarum exactor acerbus:
Præsertim dum prima animos elementa fatigant
Fructu operæ studiique levi. Patientia mentem
Blanda rudem pueri ferat, & fastidia vincat.
Sed tamen & stimulis opus est acuentibus uti,
Otia ne subeant, aut mollis inertia frangat.
Nullus desidiæ detur locus. Omnia sensim,
Dura licet, veniunt nisu superanda tenaci.

Verùm ubi bis ſenos ætatem extendit in annos,
Freno, non ſtimulis opus eſt : quando impetus acer
Intus agit, veniſque ſalit ferventibus ignis,
Nobilitas juveni qualem generoſa miniſtrat.
Ecce pruinoſos cum ſol levat æquore currus,
Et matutini cœpere rubeſcere montes,
Venatum pater autumni ſub frigora prima
Ire parat Cæſar. Juvenis penetralibus aulæ
Indulget ſtudiis Princeps. Mox cornua rauca,
Latratuſque canum, volucrumq; hinnitus equorum
Subjiciunt ſcintillam animo. Celer ire fugaci
Ardet equo : ferit impatiens præcordia ſanguis.
Tum verò invitus ſacras revocatus ad artes
Æſtuat, & curas mens intractabilis odit.
Nulla quies : doctæ pariunt faſtidia muſæ,
Pulpitaque & calami, & ſtudiorum inviſa ſupellex
Diſplicet : ingratum tædet renovare laborem.
Ecquid agat? quâ nunc juvenem regat arte magiſter?
Impetus hic minuendus erit, variiſque premendus
Illecebris, donec ſenſim deferveat, ipsâ
Subſidatque morâ. Si nullis flectitur aſper
Vocibus, & monitus aversâ mente repellat:
Tunc opus imperio, tunc cedere neſcia virtus
Obſiſtat, frangatque animos, culpæque minetur
Indicium, & patrias auſis pro talibus iras.
Nec pater officio deſit. Sua jura magiſtro
Vindicet, & læſo pœnam decernat honori.
Ni faciat : juvenem excuſſis feret ardor habenis
Nec flecti poſthàc facilem, neque lege teneri.
Qualis equus ſi fortè fimo, cumulove ruinæ
Territus obliquat ſaliens latus, oraque retrò
Torquet, & urgenti domino parêre recuſans,
Attollitque jubas & calcibus aëra pulſat
Arduus. Ille ferum ſtimulis tortoque fatigat
Verbere, laxatis donec perrumpat habenis
Tranſiliens molem objectam. Dein terq; quaterque
Victor

Victor agit circùm, tumulumque agnoſcere cogit.
Quod ſi verberibuſque ferox ſtimuloque repugnat:
Seſſoris nunquam arbitrio parere videbis.
Quàm deceat nutus juvenem ſervare docentis,
Exemplum pater Arcadii venientibus annis
Grande dedit. Scythiæ regionibus auctus aquoſæ,
Terriſque, extremis Iſter quas alluit undis,
Imperium toto Princeps Oriente tenebat.
Inſignem hîc pietate virum de millibus unum
Legerat, & teneris nati præfecerat annis.
Cui Cæſar: patris tibi ſpes, tibi creditur heres,
Et ſceptri decus, & docilis via prima juventæ.
Talis erit, qualem formaveris. Accipe veri
Jus patris, & vitiis vindex inſiſte domandis,
Virtutiſque vias aperi, dignumque paterno
Imperio, & votis populorum redde meorum.
Tu quoque, care puer, mea juſſa capeſſere ſuetus,
Hunc vitæ morumque ducem jam deinde ſequeris.
His dictis, vocem Princeps greſſumque retorſit.
At ſenior curas alacer ſe extendit in omnes,
Auguſtumque ſubivit onus. Mox prima ſalutis
Fundamenta parans, ſupremi ante omnia cultum
Numinis, & fidum cæli commendat amorem.
Utque parem patri natura agnoſcat in una,
Neu ſimilem credat dumtaxat origine natum,
Sacrilegique dolum & peſtem execretur Arii.
Nam novus hâc populos ſeducere fraude magiſter
Cœperat, atque animis ſtygium diffundere virus.
Felix, ſi feros pietas duraſſet in annos
Principis, & nullo maculaſſet crimine famam.
Septima jam vernas aurora removerat umbras,
Cum pater incenſus ſtudio, curâque videndi
Conatus pueri primos, penetralibus aulæ
Infert ſe tacitum: ſubienſque cubilia, nato
Improviſus adeſt. Hîc ſtans præcepta ſedenti
Dictabat juveni ſenior, mentemque polibat.

Obſtupuit viſu Cæſar. Simul atria circum
Auguſtos volvens oculos, paulùmque moratus:
Proſilit extemplò, trepidoque ſedilia nato
Eripit, invitumque ſenem ſuper ipſe reponit.
Tum placidâ Princeps ſic majeſtate profatur.
Tune puer documenta ſedens præceptaque ſtantis
Excipies, cui curam abſens atque omnia patris
In te jura dedi? Minus eſt quòd ſanguine noſtro
Cretus, & hos fragiles debes mihi corporis artus:
Hîc partu meliore pater, qui ſemina recti
Subjicit, & teneris virtutem interſerit annis.
Hunc colere, & tanto venerari impenſiùs æquum eſt,
Corpore quanto animus potior, quanto ignea terram
Excedunt cæli ſpatia, & domus alta tonantis.
Cede locum, & mihi quem debere fateris honorem,
Cultori quoque redde tuo. Nec plura locutus,
Proripuit ſeſe, & retro veſtigia flexit.
O decus eximium ſecli, & memorabile tanti
Principis exemplum! quo priſca ſuperbiat ætas,
Quodque probent reges, regumq; ſequantur alumni.
Quare age, Principibus juſtas cui ponere leges
Cura datur, variaſque animum exercere per artes:
Principio auguſtum tibi devincire clientem
Sit labor, ut facilis tua diſcat juſſa vereri,
Arbitrioque volens animum ſubmittat amantem.
Non hoc ſola dabit ſpectata ſcientia, vitæ
Ni probitas, juvenique facem prætendat honeſtas.
Hinc etenim præcepta trahunt, hinc pondera leges:
Altiùs & verbis animum ferit obvia virtus.
Vera licet moneas (monitis ſi facta repugnant)
Eloquio quamvis Ithacus tibi cedat Ulyſſes,
Irrita ventoſis ſpargentur verba procellis.
Nunc præceptoris quo cura potiſſima ſudet,
Expediam dictis, & veri ad limina ducam.
Phœbe pater, qui cuncta vides, cui cognitus ordo
Seclorum, & veterum ſeries longiſſima rerum,
Qui-

Quique tot heroas, poſtquam virtutibus orbem
Implevêre, poli vectos ſuper ardua cernis:
Dic mihi quà ſit iter, quo virtus ſemine tanta
Germinet, & cælo ſurgens faſtigia ducat.
Vix ea fatus, & hæc ſacro mihi reddidit ore
Pegaſeis Phœbus delapſus ab æthere pennis.
Omnis ſpes regum, & trepidis fiducia rebus
Numinis auxilio ſemper ſtetit. Hinc ſuus aris
Perpetuò ſervatus honor, cumulataque donis
Templa, & votivo ſtillantes ſanguine cultri.
Perlege divini carmen ſublime Maronis,
Iliademque, ſacer, duce me, quam cantat Homerus,
Invenies illic cultos ex ordine Divos,
Extaque jacta ſacris, & vina liquentia flammis,
Seu pacem læti colerent, ſeu bella pararent.
Quin ipſam ante aciem, marti cum claſſica ſignum
Pulſa darent, non ante duces in bella ruebant,
Quàm pecudes ferro tauroſque in vota litaſſent,
Proſpera ſcrutati ſectis oracula fibris.
Scilicet hinc rerum eventus & grandia facta
Exorſi, ſuperas tandem venêre ſub oras,
Attonitaſque ſuo liquerunt nomine terras.
Dixit, Pegaſeaſque abiens concuſſit habenas
Phœbus, & hinnitu Zephyros tranavit acuto.
Ergo etiam incultas tenuit per ſecula gentes
Relligionis amor, ſuperoſque orare ſecundos
Cura fuit: quamvis fuco decepta vetuſtas
Neptunumque, Jovemque, & inania numina finxit.
At tu, cui radiis fulget melioribus æther,
Sacrilegoſque docet pietas contemnere ritus,
Imprimis Fidei veræ documenta, Deique
Cultus, & æterni reverentia numinis, altè
Inſpiranda animo. Regum hoc fortuna, ſaluſque
Pendet ab auſpicio, & ſeries proſperrima rerum.
Virtus quippe omnis Fidei de ſemine ſurgit.
Ac veluti quo firma ſolo ſe planta recondit
Altiùs,

Altiùs, & pronâ radice tenaciùs hæret.
Lætior hoc funditque comas, & vertice in auras
Luxuriat, ſpernenſque Notos imbreſque ſonantes
durat amans ævi, ſervatque nepotibus umbram :
At quæ ſtringit humum vitio radicis adeſæ,
Et leviter ſummâ ſitiens ſe extendit arenâ,
Impulit ut ſtridens ſuprema cacumina turbo,
Sternitur, & fragiles crepitant ſub pondere rami :
Sic ubi prima labant Fidei fundamina, cæli
Languet amor, verique jacet rectique cupido.
Præcipitant mores, animoque & corpore peſtem
Diffundunt. Scelerum numero vix ſufficit ingens
Tartarus : infernæ laſſatur portitor undæ.
Primùm igitur firmanda Fides, pietaſque clientis.
Neve ſit errori quiſquam locus : arbiter orbi
Præſidet, implexas nutu componere lites,
Cuique dolos aperire datum eſt, & tollere fraudem
Verborum ambiguam, verique recludere fontem.
Non aliter quàm cum bivio fallente viator
Subſtitit, incertumque tenent diſcrimina, donec
Certus in optatum callem direxerit index.
Nam ſi quiſque ſuo reſerare oracula cæli
Nititur augurio, hîc pennis affectat olympum
Icariis, debetque vago ludibria ponto.
Uni, paſce meas, proles manifeſta tonantis
Dixit, oves, ſcabiemque & noxia tolle venena.
Addidit & verbis vires. Quæ paſcua proſint,
Quæ noceant (mentem promiſſo lumine firmans)
Scire dedit, penituſque latentes pellere morbos.
Quin etiam ſacrum in populos Deus obtulit uni
Imperium, claveſque dedit, quibus atria cæli
Claudere, & arbitrio patefacta recludere poſſit.
Aſpice præterea quâ numen cuncta moveri
Lege velit. Denſis miles numeroſus in armis
Unius imperio paret : ſeu prælia Nereus
Aſpicit, & vaſtis mugit ſub claſſibus æquor :
Seu

Seu campo ſtrictis acies micat horrida telis.
Et cum flumineas volucres mutare paludem,
Heſperidumque lacus, tepidoſque reviſere ſoles
Cogit hiems : illæ ſublimia nubila tranant,
Clamoremque ferunt ad ſidera: dux tamen omnes
Una præit, monſtratque viam, curſumq; gubernat:
Agmina quam bifido tractu pennata ſequuntur.
Non hoc caſus agit: ſenſũ hunc Deus indidit auctor
Cuncta movens, populoſque docens parere fideles
Unius imperio, nec amicos ſcindere nexus,
Queis membris caput,& capiti ſua membra cohærent.
Quin etiam antiquæ repetas ſi tempora legis,
An non ductorem quondam mille agmina vatem,
Ardentemque ſuper nocturna in lumina nubem,
Deſertum per iter, per inhoſpita ſaxa, per æquor,
Niliacamque fugam, cælo monſtrante ſecuta,
Ad patriæ tandem remearunt paſcua terræ?
O ubi ſimplicitas animorum prima, fideſque
Temporis illius quo grex paſtore ſub uno
Unus erat : nullus turbavit ovilia prædo :
Nulla venenato nocuerunt pabula morſu.
Principio mens una fuit, fuit una voluntas,
Unus amor cunctis, atque una fidelibus ara :
Menſaque divinis dapibus communis alebat.
O utinam ſecti redeant ad fœdera ritus,
Nullaque fraternas rumpat diſcordia mentes!
At poſtquam ſata nocte caput Diſcordia terris
Extulit, & natus cæcis ambagibus Error
Diſperſitque gregem, rabiemque effudit, & atri
Invaſêre lupi : tum cœpta à culmine verti
Relligio. Subiêre doli, fraudeſque, minæque,
Armaque pacatos etiam terrentia reges.
Gallia civili quoties fœdata cruore,
Sacrilegaſque experta manus? Quid Belgica dicam
Prælia, diviſas acies, diviſaque ſacra,
Et conjuratas in bella domeſtica dextras?

Ut

Ut ſemel Impietas populandis agmina campis
Fundit, & Eumenidum ſtimulis agitata, cruentas
Ferro armat truculenta manus: Furor aurea templis
Vaſa rapit, minuitque. Perit pretioſa ſupellex
Numinis in cultum multos ſacrata per annos.
Tela ſacerdotum jugulis conduntur, & ipſos
Ante focos animas, mediiſque altaribus efflant.
Tum fractæ Divûm effigies, avulſaque clauſtris
Virginitas ceſſit violento præda latroni.
Nîl adeo ſanctum, quod non violaverit audax
Impietas, ſtygio miſſum de carcere monſtrum.
Hæc Princeps teneris jam tum meditetur ab annis,
Noxia ne regnis ſenſim contagia ſerpant,
Turbatura Fidem antiquam, ſtragemque datura
Imperio ingentem. Petræ inviolabilis arcem,
Romanæque datos Sedi tueatur honores,
Juraque, quæ nullis Erebi quaſſata procellis
Deficient. Ea lex regnis, ea fœdera ſunto.
Proderit & veterum hiſtorias evolvere regum,
Hebreæque domûs ſtirpem, ſeriemque nepotum:
Tharæum ante alios: quo non ſervantior alter
Numinis, aut ſacras coluit reverentior aras.
Filius huic, dono Divûm, proleſque virilis
Una fuit, tardæ fructus columenque ſenectæ,
Flore nitens primo, & caro dilecta parenti.
Hunc pater ante focos ferro mactare jubetur
Innocuum. Ergo alacer ſenior, ſtirpiſque futuræ
Immemor, impoſuitque pyræ, tranſverſaque natum
Ligna ſuper, juguloque elatum admoverat enſem.
Cum ſubitò ſummi fulſêre cacumina montis.
Vox audita ſimul, Puerum ne percute, dixit:
Nam voluiſſe ſat eſt: placuit pro cæde voluntas.
Ille manus tollens tremulas ætate, metuque,
Lætus agit grates, & ſanctum numen adorat.
Dein puerum amplexu genitor petit. At Deus illi
Spectatum ob factis animum cædemque paratam,
Pro-

Progeniem ſtellis numeroque æquavit arenæ.
Hîc pietatis honos, virtuti hæc præmia cælum
Ponit, & ad ſeros extendit dona nepotes.
O utinam memori reges hæc mente reponant!
Non te etiam Iſaïde tacitum indictumq; relinquam.
Tu puer inter oves certare leonibus audes
Numinis auxilio fretus. Tibi cæſa ſuperbi
Colla Philiſtæi: quamquam ille armatus inermem
Riſit, & extincto volucres promiſit edaces,
Et pinguem canibus projecto corpore prædam.
Nempe jacet ſtillans deſecto vertice truncus
Immanis, cerebroque ſilex defigitur udo.
O quæ bella dehinc juvenis, ſceptroque potitus,
Geſſit ovans! dextro quæ prælia marte diremit!
Sacrilegas quando ille acies, inimicaque cælo
Agmina proſtravit victor, ſeniumque triumphis
Protulit, & lauro cani nituêre capilli.
Quippe Deo primâ fertur placuiſſe juventâ,
Parvus adhuc armenta puer cum pavit, & agnos.
Nam ſeu manè caput roſeis ſol extulit undis,
Heſperio feſſos ſeu lavit in æquore currus,
Laudibus, & cantu reſonabant paſcua ſacro.
Quo rapitis vigiles (cæli cuſtodia) ſtellæ
Sublimem pueri mentem? Terram ille peroſus,
Aſtra ſuper ſolemque volat. Quibus ignibus arſit,
Carmina dum plectro ſenior percuſſit eburno,
Munera priſca Dei recolens, cælique favorem!
Nonne vides rubro fluitare Ægyptia ponto
Agmina, Neptunum proavos, cedentibus undis,
Securum per iter promiſſæ reddere terræ?
Illic & ſiccis manarunt rupibus amnes,
Ambroſiaſque aurora dapes, variumque ſaporem
Miſit, & abſumptis duplicavit dona caniſtris.
Quin & viperei ſanavit vulnera morſûs
Æneus excelſâ ſpectabilis arbore ſerpens.
Omnia divino memorat quæ carmine vates
Re-

Regius, attonitosque jubet meminisse nepotes.
Ergo illi Judæ Imperium, Solymæaque regna
Firmavit, prolique Deus promisit habenda,
Dummodo virtutem, laudesque imitata paternas
Fœdera servaret, sanctæque oracula legis.
Continuò his animos acuat, juvenemque magister
Excitet augustum. Crescet crescentibus annis
Inspirata animo pietas, exemplaque calcar
Virtuti generosa dabunt, & ad ardua tollent.
Sed nunc tempus avos juveni monstrare, genusq;
Austriadûm, & priscâ revocare ab origine gentem
Illustrem tot Cæsaribus, quos ardua virtus
Imperio peperit, meritoque sacravit olympo.
Huc oculos, huc verte puer. Disce inclyta facta,
Disce aras, cultumque Dei, famamque tuorum:
Atque animum Austriacæ pietatis imagine pasce.
Quis procul ille oculis spirans cælestibus ignem
Helvetiis, invectus equo, se montibus offert
Conspicuum? Nosco vultus, nosco ora Rodolphi,
Armaque, & augusto volitantem in vertice cristam.
Hic vir, hic est, primos cui subdidit Austria fasces.
Unde novum stirpi ventura in secula nomen
Indidit. Armatum gentes tremuêre subactæ,
Et superata ferox submisit colla Bohemus.
Huic Roma imperium, Latiique insignia sceptri
Detulit: & summi conscendens culmen honoris,
In famam natos sortemque vocavit eamdem.
Nec marti virtus cessit, pietasque, fidesque,
Atque innata duci clementia. Parcere victis,
Templa manu struere, & meritas cælestibus aras,
Orbis & exigui nivea sub nube latentem
Cernere mente Deum, cælumque lacessere votis,
Omnia venturæ stirpi pro dote reliquit.
Nulla animis laudem egregiam & memorabile factũ
Principis illius, poterit delere vetustas,
Ob quod sceptrum illi superi firmasse feruntur.

Fini-

Finibus Helvetiæ cereris ſub imagine Chriſtum,
Senſibus occultum, moribundi ad tecta Sacerdos
Pauperis agricolæ, cæleſtia dona, ferebat.
Longum iter, atq; hiemis tardabant lubrica greſſũ.
Fortè illi patriâ veniens regione Rodolphus
Occurrit. Quem ut ſacra manu divina ferentem
Vidit: dimiſſis ab equo defluxit habenis
Pronus humi, madidaque ſuper ſe ſternit arena:
Atque Deum ſupplex, genibuſque volutus adorans
Uritur, & multo ſuſpirat ſaucius igne.
O qui res hominum tenues, regumque gubernas
Imperia, & vigili circumſpicis omnia mente,
Accipe me, prolemque meam, ſeriemque meorum.
Da ſuperis ſervare fidem, da ſancta tueri
Fœdera, Romaniſque rebelles ritibus hoſtes
Vincere, & imperio domitas ſubmittere gentes.
Supplicis hoc unum numen, precor, accipe votum.
Non me ſollicitat regnandi inſana cupido,
Non ſceptri ſublimis honor, rerumque poteſtas
Fluxarum. Malim privato vivere cenſu,
Dummodo divinos alius tueatur honores,
Sacrilegaſque acies ferro domet. Hoc decus unum
Non Aſiæ Europæque opibus præferre recuſem.
Talia ſuſpirans imo de pectore fudit.
Deinde Sacerdotem ſublimis ſcandere tergum
Cogit equi, ſequiturq; pedes, famuloq; comantem
Ferre dedit galeam: nec iniquos vertice nimbos
Horruit, & piceis ſpirantes nubibus Auſtros.
Donec ſtramineæ ſubiêre mapalia villæ,
Æger ubi divina ſenex alimenta, Deumque
Pectore ſuſcipiens, pompæ finivit honores.
Hæc fidei præclara dedit documenta, genuſque
Primus ad exemplum rapuit pietatis avitæ.
Proximus huic, longo ſed proximus intervallo,
Auſtriacus ſequitur pietate inſignis & armis
Carolus, auguſtum, & terris memorabile nomen.
Hic

Hic domitum Auſtriacis orbem ſervire triumphis
Compulit, attonitoque injecit vincula ponto.
Hujus ad adventum Libyæ tremuêre tyranni,
Africaque exuſtos vidit ſine remige portus.
Quid victo memorem lauros Oriente? quid Indos
Imperio adjectos, aurum qui divite venâ
Effodiunt, mittuntque? quid illis Gallica jungam
Et ſpolia, & miſſos captivo vertice reges?
Hæc decora, has pietas palmas meruitque, tulitque,
Principis & tantis conjuncta modeſtia rebus.
Namque ubi Franciſcum coram, dejectaque ferro
Lilia, victriceſque aquilas conſpexit Ibera
Nobilitas: magnos animo meditata triumphos,
Eductos in cælum arcus, pompamque parabat
Ingentem, & feris arſuros nubibus ignes.
Noluit hoc victor. Non eſt victoria tanti
Cæſar ait: nec enim fraterno ſanguine fuſo,
Lætitiæ dare ſigna decet. Servabimus iſta
Hoſtibus Europæ domitis, Aſiæque cadenti,
Quam fera Turcarum rabies noſtro abſcidit orbi.
Nunc ſat erit, ſuperis grates retuliſſe ſecundis.
Pòſt victum bello regem in ſua regna remiſit.
Caverat interea ne circumfuſa tot armis
Gallia vaſtatos lugeret curſibus agros:
Atque Italos, Belgaſque, avidoſque repreſſit Iberos,
Ne ſignis premerent trepidas victricibus urbes.
Sic raro exemplo pariter fortique, faventis
Fortunæ volucres ultrò compreſſit habenas.
Deinde ubi tot claris decoravit ſceptra triumphis,
Tandem bellorum & famæ pertæſus inanis,
Accenſuſque animum regni melioris amore,
In natum ſua regna pater, ſua jura Philippum
Tranſtulit, & vaſtos, quos Nereus dividit, Indos.
Ipſe Deo ſuperiſque vacans ſeceſſit, & aulam
Ipſe novam ſtatuit ſublimi mentis in arce
Rex animi, domitorque ſui. Stant ordine pulcro
Virtu-

Virtutes (regni proceres) ſanctique miniſtræ
Imperii, abreptoſque ferunt ad ſidera ſenſus.
Illic, ô, fulvo quanto pretioſior auro
Regia, divinos ſuſpiria rumpit in ignes!
Quò matura virum virtus, quò ſacra ſenectus
Detulit, & meritis acceſſit Carolus aſtris.
Nunc ad avum, generoſe puer, vicinaque noſtris
Tempora verte aciem, & Pario de marmore molem
Aſpice, quam ſacri poſuit Leopoldus amoris
Argumentum ingens. Stat Divæ ſculpta parentis
Effigies, bis ſex frontem circumdata ſtellis,
Maternoque puer gremio ſubnixus, & infrà
Grandibus hæc inſcripta notis monumenta leguntur.
Cælicolum regina decus, tuque inclyte tantæ
Matris honor fructuſque puer, rerumque mearum
Unica ſpes: tibi me ſupplex, ſtirpemq;, nepoteſque,
Et fragilis ſpatium vitæ, ſortemque futuræ
Committo. Faveas, precor ô, mentemque precantis
Devotumque tibi ne deſpice, Diva, clientem.
Quod bello, quod pace geram, tibi cedet, & omnis,
Quæcumque eſt fortuna, tuos celebrabit honores.
Sic voveo, cupioque hujus meminiſſe minores.
Audiit, & votum cæli regina probavit.
Ergo nullæ acies Leopoldum, inimicaque Thracum
Agmina fregerunt, non pocula fœta veneno,
Et conjuratis Serinia fœdera dextris.
Rebus in obliquis tutata eſt Diva potenti
Auxilio, inque hoſtes pœnam convertit, & iras.
Quin etiam cecinêre ſacri præſagia vates,
Tempore quo capient victores omnia Galli,
Affore de cælo numen, palmamque daturum
Auſtriaco. Nec vana fides deluſit. Ovantem
Vidimus, ardentique per avia marte prementem
Relliquias pugnæ exiguas, lacerataque caſtra.
Vidimus Alſatias cecidiſſe tonitribus arces
Mœnibus everſis, humilemque & arundine tectum

Captivos Rhenum Leopoldo ſternere fluctus.
Adde Alpes ferro domitas, Latioque ruentes
Attonitas Gallorum acies, inimicaque ſigna.
Omnia quæ cælum precibus dedit. Et ſua reges
Imperia auſpiciis dubitant committere Divûm?
Nec ſolidâ lauros malunt pietate mereri,
Fidere quàm dubiæ ſorti, quam turbine verſat
Fortuna aſſiduo, rerumque volubilis ordo.
At tu, care puer, cum primùm adoleverit ætas,
Poſt generis laudeſque tui, & decora alta tuorum,
Incipe magnanimi virtutem agnoſcere patris,
Illius & quæ te genuit. Quod vivis, & auras
Aſpicis ætherias, pietas dedit una parentum.
Munera teſtantur votiva, atque aurea ſacris
Dona manu ſuſpenſa tholis. Spes aſpice Princeps
Parve tuas: tibi naſcenti dat proſpera cælum
Omina, & in cunas pronus ſe fundit olympus,
Lætitiam palmamque ferens. Victoria tecum
Naſcitur, & domito jam nunc Oriente triumphas.
Quid facies ævo gravior? Tibi gloria captæ
Servatur Solymæ: violati fœderis ultor
Ultima Danubii poſtquam pater oſtia rumpens,
Imperium Euxinas extendet victor ad undas.
Hæc illum fortuna manet. Veſtigia tantùm
Sit tibi cura ſequi, patrioque inſiſtere marti:
Virtutis quo ducit iter, quo te vocat ardor
Nativus, cælique favor. Si vita per omne
Inculpata ævum pietatem exæquet avorum,
Tum tua præteritas ſuperabit gloria lauros,
Teque pater juvenem ſenior mirabitur, & ſe,
Et ſua jam vinci, non invidus, arma videbit.
Macte animo, Auſtriacis dignus virtutibus heres
Succede, & populos, tibi quos Natura, Deuſque
Subjecit, miti Princeps ditione guberna.
Te patriæ verum præſtet clementia patrem,
Atque animos menteſq; rape, & tibi junge tuorum.
For-

Fortunas (ſi bella premant) animaſque periclis
Objicient, & in arma ruent inimica volentes,
Præclaram vitæ læti præponere mortem.
Altera juſtitiæ ſit cura, ut pœna nocentes
Æqua premat, meritæque ferant ſua prœmia laudes.
Si quis in adverſos ruit imperterritus hoſtes
Miles, & arma refert, gladiumque à cæde tepentem,
Acer & ingenio, & dextrâ dare vulnera promptus:
Illum (nulla licet ſtirpis commendet origo)
Muneribus decoret Cæſar, meritoque cohortem
Concedat, pugnæ pretium, fuſique cruoris.
Invalidamque manum (cura eſt ea Cæſare digna)
Sive acie in media mavortia vulnera paſſi,
Sive luem traxêre, rotis plauſtroque gementes
Mollibus exponi ſtratis, tectoque foveri
Conveniet: donec reparatis viribus enſem
Sepoſitum accingant lateri, martemque repoſcant.
Corpora quin etiam campis inhumata relinqui
Alitibuſque, feriſque vetet. Meruêre ſepulcrum,
Sanguine qui certum patriæ peperêre triumphum.
Funereaſque preces, & myſtica ſacra piandis
Indicat cæſorum animis, cæloque reſignet.
Marte tamen quàm pace minùs lætetur, & ictum
Ne violet fœdus. Satis eſt ea crimina Thraces
Exitio luxiſſe ſuo. Decus emicet illud
Auſtriacæ dotale domûs, ſervare perenni
Pacta fide; & nullis invadere fraudibus arces
Ante tubæ ſonitum, & belli data ſigna patentis.
Ambitio quò ſæpe truces rapit improba reges,
Oblitos fideique datæ, paciſque ſequeſtræ:
Quamvis iſta Deus perjuria vindicet ultor.
Pace nihil melius, totoque beatius orbe
Aſpicit è ſummo ſol indefeſſus olympo.
Pax homines, pax nutrit agros: opulentia regnis
Creſcit, & extremis rediens mercator ab Indis
Mercibus optatis patriam fœcundat egentem.

Tum, ſi bella premunt, vires æraria fundunt
Plena ſuas : longo ſuperant ſtipendia marti.
Quid referam, denſis ut frugibus horrea rumpant,
Deficiatque lacus Baccho, gregibuſque ſupini
Colles, & fœtis ſpument mulctralia villis?
Omnia quæ Mavors truculentus gaudia turbat.
Nec Princeps mediâ captat tamen otia pace.
Tunc juvat & validis circumdare mœnibus urbes,
Et quas vel Bellona dedit, vel longa vetuſtas
Subruit, ingentes murorum implere ruinas:
Exercere rudes acies, & ludicra martis
Prælia, venturoque animos aſſueſcere bello.
Et juvat, ingreſſus quâ parte facillimus hoſti
Panditur, extremos regni cognoſcere fines.
Hîc arces molire novas, numeroſaque confer
Præſidia, hîc vigil obſervet cuſtodia vallum.
Sulfuris hîc plumbique graves liventis acervos
Congere. Non & tela loco, non miſſile ferrum
Defuerit, multoſque ceres quæ duret in annos.
Æreaque è celſis minitetur machina muris.
Eſt quoque pacis opus, vulgi componere mores
Legibus, & regni in curas adhibere Catones,
Quos & canities, & nullo flexilis auro
Commendat virtus, & longa peritia rerum.
Quin & luxuriam, & peregrino è murice veſtes,
Fulgentes auri radiis, minioque ſuperbas
Imperii cenſura vetet, ludoſque nocentes
Talorum, & jactus, unâ qui abſumere cenſus
Nocte ſolent, dextraſque truci conferre duello.
Scilicet his (bello meliùs ſervanda futuro)
Nobilitas perit ante diem, mœſtique parentes
Immatura gemunt natorum funera. Felix
Gallia, quæ potuit tantos avertere luctus,
Atque uſum gladii, & pugnas inhibere cruentas.
Mortua quin etiam cæſorum corpora, verſis
Ad ſolem plantis, infami appendere trunco
Im-

Imperat, & ſanie perfuſa madeſcere ligna.
Impiaque exemplis certamina talibus aufert.
Supplicia hæc utinam toto ſtatuantur in orbe,
Præclarumque decus Lodoici imitata ſequantur
Secula ! Nam quæ pugnandi tam dira libido
Impulit humanas in mutua vulnera mentes?
Non feritas movet illa lupos, movet illa leones.
Armentis, gregibuſque nocent: fremit ira, fameſque
In diſpar genus, & ſocialia fœdera ſervant.
At nos, quos numen, ratio, natura, fideſque,
Et patria, & germanus amor, teneræque ligavit
Nexus amicitiæ, verbo ſi lædimur uno,
Protinus arma manu rapimus, vitamque animamque
Projicimus ferro, & ſtygias properamus ad undas.
Antè tamen quàm Rex populi ſcelera impia tollat,
Virtutum exemplo præeat. Male vindicat ultor
Quæ facit, & ſimilis meritò quem pœna repoſcat.
Poſtquam incorruptæ præluxit imagine vitæ,
Tum procerum luxumq́; premat, veneriſq́; pudendæ
Crimina: laſcivi ſpectacula fœda theatri,
Furta Jovis, fidique vagos paſtoris amores,
Et quæcumque animum ſpectata libidinis æſtu
Corripiunt. Sit ſcena decens, ſit digna pudicis
Auribus. Herculeos reſonent aulæa labores,
Factaque clara ducum, pennis ſuper æthera virtus
Quos tulit, & memori commendat gloria famæ.
Longa nec in ſeram ducant convivia noctem.
Sit cyathis certare nefas, Bacchoque litare
Hauſtibus in lucem paribus. Temulentia nutrix
Criminis. Hinc lites inimicaque jurgia, nec non
Et ratio, & nimio ſenſus humore ſtupentes,
Et ſenſim tremuli labefacto corpore nervi.
O quanto melius circo exercere juventam
Pulvereo, indomitoſque, & adhuc in frena rebelles
Flectere equos gyro, & fluvios innare patentes.
Tum peditem conferre manus, &, principe coram,

Fossarum superare moras, transcendere vallum
Saltibus, & ficti certamina discere martis.
Dein tolerare sitimque, famemque, & solibus uri.
Nec non & rigidæ glaciem contemnere brumæ,
Et densas Aquilone nives, dum cursibus apros
Exagitat, volucri transfigit & ilia plumbo.
Talibus armorum auspiciis, crudâque palæstra,
Pectora nobilium sensim indurescere marti
Gaudeat, & meritis Cæsar sua prœmia ponat.
Sic olim Ausoniæ primo sub rege juventus,
Romuleæque acies micuêre : & subditus orbis
Agnovit dominam postrema ad litora Romam.
Deinde oratores, mediâ qui visere pace
Regna aliena solent, juris linguæque peritos
Præcipua de stirpe legat ; queis fidere sensus
Arcanos Princeps, rerumque negotia possit.
Illis cura, dolos, regumque latentia furtim
Noscere consilia, & tacitos prædiscere motus,
Seu pacem, martemve parent : ne perfidus hostis
Irrumpat subito secura in mœnia bello,
Improvisa ferens latis incendia campis.
Ergo ubi contigerint peregrinæ litora terræ,
Primùm animos procerum largis sibi jungere donis
Instituunt. Aurum tenui se immittere rimâ
In regum secreta solet. Non ænea turris
Centum clausa seris, triplicique impervia vallo
Inclusam Danaën potuit defendere, ne quà
Juppiter aurato perrumperet ostia nimbo.
Ista tamen monitis absint commercia nostris.
Nec minùs interea mores, geniumque suorum
Providus exploret Cæsar : queis credere fines
Imperii, clavesque & propugnacula regni
Audeat, impositasque jugis sublimibus arces.
Muneribus captus portas ne fortè recludat
Proditor, & patulis admittat mœnibus hostem.
Quin & præsidii crebrò transferre cohortes
Mutata statione juvat. Nunc miles in ortum

Tendat ab occaſu ; dumque anni vertitur axis,
Aſpiciat gelidis poſitas Aquilonibus urbes.
Sic fraudi ſpatium deerit, ſemperque recentes
Excubiæ ſpes hoſtiles & munera fallent.
Præbeat & faciles rigidis cenſoribus aures
Qui meliora monent, quos nec timor edere verum
Regalis vetat, & mores culpare ſiniſtros.
Turpis adulator procul exulet. Ille ſilendo,
Palpandoque nocet : regni neque commoda curat,
Sed ſua, & ingenium formas inflectit in omnes,
Vertumno verſatilior, Janoque bifronti.
Præcipuè auguſtus doctas exerceat artes
Mœcenas, ſtudiiſque animos accendat inertes.
Sit novus antiquo pictor qui certet Apelli,
Et ſpeciem mutis vitamque coloribus addat.
Phidiacas alius ſtatuas imitetur, & artem
Æmulus, & Latii priſcos inſtauret honores.
Namque his Auſoniæ populi viguiſſe feruntur
Artibus : & veteres oſtentat Roma figuras.
Laöcoon ſaxo moritur, natoſque, patremque
Marmoreus ſpiris ſerpens ingentibus ambit,
Involvitque truci nexu, & latera ardua mordet.
Ille manu ſtrictos pugnans divellere nodos
Dat ſine voce ſonum, morienſque in marmore vivit.
Nec Latiæ pereat decor & facundia linguæ.
Græcia nec noſtris contendere victa poëtis
Audeat, & profugas Pindi de vertice Muſas
Auſtriacas vertiſſe gradum miretur ad oras.
Aſtrorum occaſus alius demonſtret & ortus,
Obliquaſque vias ſolis, lunæque labores.
Quæ lenta hibernam minuant obſtacula lucem,
Quæ pluviæ, ventiſque domus; quo fomite fulgur
Emicet, attonituſque fragore remugiat orbis.
Deniq; quidquid habent veterũ monumenta virorũ,
Regno collectum Princeps miretur in uno.
Imperii ſic creſcet honor, cunctaſque per oras
Fama volans, doctæ ſparget præconia gentis.

DE INSTITUTIONE PRINCIPIS

LIBER TERTIUS.

POstquam animo firmis pietas radicibus hæsit,
Et toto Princeps concepit pectore numen:
Utque procul regno vitia, & genus omne fugavit
Desidiæ, & stimulis studiorum accendit honestis,
Pectora nobilium formans, floremque juventæ:
Ipse quoque ingenium varias convertat ad artes,
Palladiæque aciem & palmam meditetur arenæ.
Principio leges patriæ, sancitaque discat
Jura fori, sitque ipse sui pars prima senatûs.
Ut, quando in geminas scindit se curia partes,
Legibus hinc atque hinc certans; discernere veri
Argumenta sciat, tortosque evolvere nodos:
Sive opus est pacis, seu belli exquirere causas.
Maturisque puer talem se præbeat annis,
Qualem mirata est Leopoldum implexa secantem
Austria nuper avum: qualisque per ardua fulget
Consilii gravitate pater. Quo Principe legum
Constat honos; dant terga fugæ fraudesque, dolique,
Atque aliena nigri rapientes pabula corvi.
Deinde animum stimulet Salomonis gloria, quo non
Hebræas alter rexit sapientior urbes,
Lux populi, judexque sui. Prudentia regum
Propria dos, fulvamque super micat una coronam.
Talibus accensus juvenilia pectora curis,
Æquis subjectum moderetur lancibus orbem.
Proxima terrarum immensos cognoscere tractus
Cura sit, & quo quæque ferant sub sidere gentes:
Tum varium terræque situm, faciemque locorum
Disce-

Discere, & ingentem tabulâ concludere parvâ
Oceanum, atque humero stellas Atlanta ferentem.
Apparent alio terræ sub sole jacentes,
Æthiopumque domus, canæque Aquilonibus oræ.
Hîc juvat obtutu discernere protinus uno
Flumina, piscososque lacus, vallesque profundas,
Et nemora, & cælum ferientes vertice montes,
Litoraque, & portus nautis trepidantibus aptos,
Et numerosa vago quæ tunditur insula ponto:
Dein quē quæq; locū teneat maris. Anglia Flandris
Proxima litoribus, triplicique superba coronâ
Tollitur, & Boreæ glacialem respicit ursam.
Certat & æquoreis Batavis, quis maxima ponto
Vela paret, geminoque ferat commercia mundo:
Certiùs aut quis acu claros notet arte triones
Nocturnum per iter, gelidosque Lycaonis ignes.
At quà vicinos Hispania respicit Afros,
Oppositumque secat litus mare, quàque remoto
Volvitur Euxino, & Nili septem ostia pulsat,
Multa mari medio jacet insula: fertile regnum
Trinacriæ, Cererique manens gratissima tellus,
Rapta licet matrem Proserpina fleverit: at nunc
Elysium tenet, & fuscâ negat arce reverti.
Illic flammarumq; globos vomit Ætna; retorquet
Enceladus fessum quoties latus. Ultima ponti
Cyprus habet, prisco quondam regnata Sabaudo:
Idaliæ nunc sacra Deæ molissima tellus.
Inter utramque jacet, Libycis pulsata procellis,
Creta Jovis nutrix, olim Minoia regna.
Nunc Venetis pars nulla manet: ferus abstulit hostis
Omnia, servitioque premit. Vetus oppida centum,
Centum arces numerare solet. Sed scilicet olim
Pasiphaës scelere infamis, tauroque biformi,
Funeribusque virûm, quos tecti Dædalus error
Perdidit, & varios lusit via secta per orbes.
Ægides monstrum donec fatale peremit,

Cæca,

Cæca, Ariadna, tuo relegens veſtigia filo,
Et ſocios turpi exolvit, patriamque tributo.
Cetera turba per Ægæum diſpergitur æquor
Anguſtis diviſa fretis: ubi candida monſtrat
Saxa Paros, niveoque micantes marmore rupes.
Et Lunâ celebris Delos, nec Apollinis aris
Clara minùs; multos (ſi famæ creditur) annos
Mobilis: at partu poſtquam eſt enixa Dianam,
Firma ſtetit, patiens ventorum atræque procellæ.
Quid memorem Iöniis numeroſas Cycladas undis,
Icariam, lapſas ſervantem ex æthere pennas,
Remigium pueri infelix, Naxonque ſuperbam
Baccho; & Vulcani celebratam nomine Lemnon?
Quid tenui ponti diſcrimine Seſton Abydo
Avulſam, & turrim, claraſque natatibus undas?
Quæ loca divinis olim cantata poëtis,
Omnia barbarico jam nomine Turcia ſignat.
Hoc iter emenſis, longaſque Propontidis oras,
Helleſpontiacæ fauces panduntur, ubi arcto
Europam atque Aſiam Neptunus limite ſcindit.
Auguſtæ hîc ſedes, & mœnia Conſtantini,
Chriſtiadûm fabricata manu. Nunc rapta tyrannus
Exterus (ô patriæ pudor atque infamia noſtræ!)
Imperio tenet, & furto lætatur inulto.
At nunc iſta pater repetet tuus. Aſpice Princeps,
Huc & ſpes, Leopolde, tuas, huc lumina verte,
Nec pigeat pictâ cognoſcere cuncta tabellâ
Quæ genitor tibi regna parat; poſtquam ultor Eöas
Franget opes ferro, & victis dominabitur Argis.
Quò nunc tendit iter celeri victoria pennâ,
Indomitæque ardent aquilæ perrumpere. Nec ſors
Impediet cœpti juſtiſſima prœmia belli.
Nunc Helicona Deæ mihi pandite,nunc juga ſacri
Scandere Parnaſſi timido concedite vati.
Tuque animos, tuque ora mihi, palmaſq; recentes
Qui præbes, jamque attonitam mavorte ſecundo
Læti-

Lætitiâ Europam incendis, da maxime Cæsar
Te facilem, dexterque novis conatibus adſis,
Dum tibi ſubjectum tua gloria vindicat Iſtrum.
Arma viroſque juvat, pugnamque referre cruentã,
Vulneribus dum terra madet, campiq; redundant
Sanguine barbarico, ſpoliiſque altaria victor
Accumulas, palmæque Deo tranſcribis honorem:
Dumq; metum Venetis Neptunus ovantibus aufert,
Hoſtileſque fugat nocturna per æquora puppes,
Et Melitæ, Hiſpanæque rates fugientibus inſtant:
Romaque jam duplici gaudet cumulata triumpho.
Prima juvat tanti revocare exordia belli.
  Barbarus icta ferox inopino fœdera marte
Ruperat. Hic auri cupidus, quod fœnore Princeps
Vallachus exiguo Venetæ tranſmiſerat urbi,
Theſauros ſibi depoſcit, martemque minatur
Threïcium, juſſis mora ſi nectatur. At illi
Obſtant juſtitiæ memores, tabulaſque, fidemque
Prodere poſſe negant. Ergo omnem milite multo
Commovet, educitque Aſiam; terrâque marique
Invadit Pelopis dictum de nomine regnum.
Inde iter Italiam versùs ſibi pandit, & omnem
Fœderis oblatam legem intractabilis odit.
Ergo perfidiæ impatiens movet agmina Cæſar,
Flumineamque Iſtro claſſem movet. Ocyus ingens
Hungariæ extremas exercitus occupat oras,
Eugenio duce tutus, & inſuperabilis hoſti.
Noluit at prudens hoſtilem ut primus in agrum
Rumpat, vel ſanctæ violet commercia pacis:
Tutetur marte imperium, vim vique repellat.
Interea dux Iſmarius bis millia centum
Pectora, & armati vires Orientis agebat,
Sorte ferox prima, & Veneta jam clade ſuperbus.
Quis mihi nunc variâ miſſas regione cohortes
Explicet, atque habitus armorum & nomina gentis?
Eöæ fulgent acies, Arabeſque remoti

Thurilegas liquêre domos, quique oſtia ponti
Rubra colunt, quique arva vagi pinguiſſima Nili.
Et Dacique, Scythæque, ſagittiferique Geloni:
Et Boreæ de parte truces, arcuque ſonantes
Parthi: nulla quibus curſu velocior acres
Gens inflectit equos, aut tergo ſpicula mittit.
Marte tamen pubes infirma, nec ordine pugnans.
Quippe fugâ montes, rapidoſque natatibus amnes
Trajiciunt, prædamque ſequi, non pectus in hoſtem
Ferre ſolent, retrahuntque gradum quà denſior igne
Mars tonat, & miſera ſocios in cæde relinquunt.
It melior pedes in flammas, & acinacis uſu
Promptior, à Jano, miles, cui barbara nomen
Terra dedit, ſumptis Janitſarus horridus armis.
Mittit & innumeras Iſtro Romania turmas,
Mœotiſque palus, Tanaiſque, & dives equorum
Thracia, finitimæque urbes, vicinaque Græcis
Epirus. Nec non Tyriæ, Libycæque triremes
Millia multa vehunt, & nigris pontus arenis
Decolor, Euxinas fluctu qui verberat undas.
Qualis ubi autumno Boreas, vel nubifer Eurus
Incumbens nemori violentior, excutit altè
Luxuriem foliorum, atque omnem fronde caducâ
Spargit humum, valleſq; comis flaventibus implet:
Haud ſecus Eoi variæ de partibus orbis
Confluxere acies, & inundant undique terram,
Tam variæ linguis, habitu quàm corporis, & queis
Aſpectum terrent armis, ſolemque laceſſunt.
Jamque ardens ripas hoſtis properabat ad Iſtri,
Quâ celer, obliquuſque alienis influit undis
Savus, & hoſtiles fluctu diſcriminat agros.

Eugenius contrà fines, armiſque tuetur
Hungariam, nec caſtra movet, propiorque Tibiſco
Hæret, & è ſpecula motuſque, animumque, doloſq;
Threïcii ducis obſervat. Quem ut rura petentem
Noſtra videt, Savoque inſtratos ſcandere pontes,
Rum-

Rumpere iter ferro, & tectis immittere flammas:
Tum demum, ut telis venantum excitus, ab antro
Prosiluit, fremuitque leo, fulvaque comantes
Excutiens cervice jubas, interritus hostes
Fertur in adversos, atque ignea lumina volvens
Vulnus amat, rictuque inimica hastilia mordet:
Haud secus ardescitq; animo, & spe præcipit hostem;
Festinusque aquilas Istri trans fluminis oras
Urget, iter celerans: animansque ad prælia ductor
Austriacas acies marti parat, atque ita fatur.
Quam votis optastis, adest jam copia pugnæ.
Non opus est cæcæ tectos caligine silvæ
Pellere, difficilesque aditus, faucesque malignas,
Et cæsis molem arboribus perrumpere ferro,
Fossarumve moram, aut fluvios superare rapaces.
Hoc quondam rupistis iter. (Taurinia testor
Mœnia, & Hannoniæ saltus) Nunc æquore campi
Consistunt, nec adhuc trepidi tellure teguntur.
Eia! animos revocate: patet latus omne ruinæ.
Dixit, & extemplò vaginâ diripit ensem
Fulmineum. Hoc comitesq; duces, avidusq; cruoris
Miles agit, strictoque seges micat horrida ferro.
Interea præmissi equites qui certa reportent,
Explorentque aditus, hostiliaque agmina lustrent.
Ibant loricâ tecti capita alta ferentes,
Armatique comas galeâ: cristasque rubentes
Aura movet: quos ductor agit Brunerus in hostem,
Palfius &, qui magnanimæ regit agmina pubis.
Exultat campo sonipes, generosaque tollit
Pectora: pulveream glomerat densa ungula nubem.
Quos simul adverso venientes agmine vidit,
Agnovitque procul numerum rarasque cohortes,
Hostis ovans campis equites effundit apertis,
Millia multa virûm fortissima pectora, & omne
Martis barbarici robur. Quos Palfius heros
Excipit impavidus, certus non cedere, & illo
Meti-

Metitur fortunam animo, quo ſuſtinet ignem,
Spiculaque, incurſuſque acres, & acinacis ictus,
Ter numero licet inferior. Sed ſcilicet ardor
Neſcit Teutonicus fugientia vertere terga:
Aſpiratque animos juſtæ fiducia cauſæ.
Jamque diu imparibus certatum cominus armis,
Cum medio infelix capitur Brunerus ab hoſte,
Ut dextrâ, lævâque ardens ferit, & rotat enſem,
Sternaci revolutus equo. Quem barbara vinctum
Biſtonidûm abducit legio, caſtriſque reportat.
At Thracum non ille manu morietur inultus,
Impia perpeſſus captivo vulnera collo.
Ultor adeſt, qui triſte nefas, cædemque cruentam
Militis egregii, quem ſors inimica fefellit,
Excidio Turcarum, & regni clade piabit.
Interea (plures quamvis dedit ardua letho
Dextra viros) feſſi numero ne fortè fatiſcant
Oppreſſi Auſtriadæ, paulatim excedere pugnâ
Viſum. Sed nec terga fugæ properata dederunt:
Ordinibus pugnant lentè cedentibus, & ſe
Incolumes tandem ſociorum in caſtra tulerunt.
Tertia Phœbeos aurora eduxerat ignes.
Cùm pugnæ ſignum, mediâ ſtans acer arenâ,
Eugenius dedit: ac ſubito perterruit hoſtem
Armorum aſpectu plenis exercitus alis:
Diviſum quem Danubio, ripâque remotum
Crediderat. Caſtris non jam circumdare vallum
Tempus & arma ſinunt: prædæque expoſta ſupellex
Belli tota manet: Tyriâ tentoria mille
Texta manu, tum mille greges, armentaque, & auri
Pondera barbarici: dives quæ cuncta tyrannus
Collecta in noſtram dederat ſtipendia cladem.
Nulla ſed invitis ſperanda eſt gloria Divis.
Quippe ubi perſonuêre tubæ, & vis ſulfuris atra
Abſtulit albentem piceâ caligine lucem,
Irruit adverſum denſâ vi primus in hoſtem
Eu-

Eugenius, famâ dudum multoque triumpho
Nobilis. Igne tonant ripæ, teretique metallo
Mille volant per inane globi. Simul excita tellus
Barbarico clamore tremit. Ter reppulit hostis
Militis Austriaci incursum: ter versa retrorsum
Agmina, turbatisque acies rediêre maniplis.
Et nisi cura vigil, præsensque ad singula sensus
Principis, inceptæ reparasset damna ruinæ:
Obruerat numero Austriacos, palmâque superbus
Barbarus, Hungaricas victor penetrasset ad arces.
Sed medium extremas robur quod dividit alas
Collectum adversos tantâ vi fudit in hostes,
Agmina ut obnixus perruperit. Inde solutum,
Turbatumque urgens equitem volvitque, fugatque,
Præcipitemque premit. Nec respirare potestas
Ulla datur, fractisque aciem instaurare ruentem
Ordinibus. Simul hoc tumulo prospexit ab alto
Ismarii ductor martis, cladem que suorum
Agnovit; medios sese moriturus in enses
Intulit, & letho laqueum prævertit honesto.
Quis stragem peditum horrendã, quis cædis acervos
Explicet, aut possit numerum censere cadentum?
Ter decies millena premunt morientia terram
Corpora. Diffugiunt alii, & cita vulnera tergo
Accipiunt. Spoliis in noctem oneratur opimis
Miles ovans, avidæque patent tentoria prædæ.
Dein imposta Temi, & multâ defensa palude
(Jupiter assiduis quamvis nigresceret Austris,
Tentarentque hostes variis assultibus urbi
Mittere suppetias, & iter perrumpere ferro)
Urbs capitur, totamque tibi jam maxime Cæsar
Hungariam, & tractum Borealis subjicit Istri,
Usque sub Euxinas quà litora porrigit oras.
Natalem, Leopolde, tibi sic Carolus annum
Inchoat, & palmâ cunas prætexere gaudet,
Exemplis animans ad fortia facta paternis.

Qua-

Quare age, & Eugenio (veniet dum fortior ætas)
Sub duce, militiæ primas cognoſcere leges
Incipe, & in varias aciem diſponere formas.
Nullo etenim grave martis opus meliore magiſtro
Scire potes: non ſi ipſe adſit criſtatus Achilles,
Ignea vel volucres agitans Bellona quadrigas.
Pauca, mihi quæ ſcire dedit Gryneus Apollo,
Accipe, nec memori dubita committere menti.
Antè loci facies, quàm figere caſtra parabit,
Eſt luſtranda duci. Pars hæc aptiſſima terræ,
Flumineas ubi rivus aquas, potumque miniſtrat.
Quo bellator equus, feſſos quando æthere præceps
Phœbus agit currus, artus ſudore fluentes
Abluat, & madidâ referat veſtigia ripâ.
Et juvat objectu nemoris latus undique claudi
Oppoſitum: inſidiis fallax ne irrumpere poſſit
Parthus equo celer, & raptas avertere prædas.
Planities mediis ſemper gratiſſima caſtris,
Pinguis ubi flavis lato æquore campus ariſtis
Fluctuat, ablatamque gemet miſer incola meſſem.
Prataque vicinas ornent viridantia ripas,
Pabula cornipedi quæ nocte recentia præſtent.
Stet procul in celſis ſpeculator montibus, omnemq;
Eminus aſpectum captet, quando agmina tutis
Feſſa jacent campis, aut ludo tempora ducunt.
Tum noctemque diemque vigil cuſtodia circùm
Excubet, atque aditus caſtrorum & limina ſervet.
Eſt & opus fidis exploratoribus uti,
Turmarũ numerum & motus qui cominùs omnes
Hoſtilemque ſitum, & taciti prætoria luſtrent.
Sæpe hoſtes ſtruxêre dolos, noctiſque per umbram
Improviſi adſunt, objectaque flumina vincunt.
Ipſe etiam ſummo imperio qui cuncta gubernat,
Omnia luſtret equo circum, vigileſque ſuorum
Excubias coram exploret. Tum ſæpe coacto
Concilio Heroum, belli de rebus agendis

Conſulat : an dubiæ tentare pericula pugnæ,
Cingere vel flammis & muros rumpere ferro
Conveniat, celſaſque aperire tonitribus arces :
Aut tegere, & tutâ patriam ſtatione tueri.
Omnia quæ ducibus ſunt expendenda, priùs quàm
Irrita mavorti committant vota ſiniſtro,
Promeritâque luant temeraria prælia clade.
Si fueris numero inferior, munire memento
Caſtra, nec obliquis dubita proſcindere terram
Aggeribus, validumque hoſti prætendere vallum.
Sin ſuperat virtus, & adeſt tibi copia martis,
Pluraque condenſæ numerant vexilla cohortes,
Rumpe moras, celer hoſtili dominabere campo,
Horreaque invenies profugis populanda colonis.
Tunc tibi promittet facilem victoria palmam,
Sive acie certare voles, ſeu ſcandere muros.
Eſt quoque principibus non cura indigna, nitentes
Paſcere equos : ſeu quos Calabris in montibus, albis
Aſperſit nigros maculis, atque ubera mater
Plena dedit; ſeu quos ſaltus & Ibera vagantes
Per juga maturis ſoles fervoribus urunt.
Hi meliùs, dum victor adit capitolia Cæſar,
Captivamque trahit pubem, ſe curribus aptant
Nigrantes, & frena auro rutilantia mandunt.
At quos Eleis aluerunt paſcua campis,
Curſibus antevolant Zephyros capreaſque fugaces.
Dat validos Rhodopeque greges, dat Tartara tellus
Impexâ cervice feros, habileſque natatu.
Noſtra quoque inſignes Germania martis in uſum
Nutrit equos, ſuetos operi, duroque labori.
Armatumque ferunt equitem, cui lamina ferri
Pectus obit, vaſtoque tremit ſub pondere tellus.
Agmine de tanto Princeps, qui corpore præſtant,
Seligat, & ſtabuli domino committat alendos.
Noſcere nec labor eſt generoſæ ſemina matris.
Indicium virtutis erit, quibus ardua cervix

Tollitur, & crebris auras qui hinnitibus implent.
Tum formã obſerves, greſſumq;, & corporis artus.
Igne micent oculi, motæque ad ſibila virgæ
Exiliant, hucque inſtabiles vertantur, & illuc.
Sit teres ad coſtas alvus, diductaque tergum
Spina cavet; caudâ greſſus feriantur ab imâ.
Cruribus & tenues incedant, pectore lati:
Luxurientque jubæ faciles per colla, per armos.
Ex his quem Bellona furens ſibi vindicat, & qui
Magnanimum tergo accipiet, rapietque per hoſtes
Heroëm, binos jam tum cum expleverit annos,
Aſſueſcat lituo: circùm crepet auribus ignis
Exploſus: pulſa arma ſonent: ſpectetque micantes
Impavidus gladios, atque æra vomentia flammas.
Tum motum freni ac ſtimulos patiatur, & acres
Inter equos primus torrentes innatet undas:
Sive opus eſt celſos alacrem conſcendere montes,
Sive latus verſare, atque agmina ducere gyro.
At quem clamoſis ſervas venatibus, alto
Exercêre juvat luco, atque aſſueſcere ſilvis.
Incurvos ſubter diſcat ſe vertere ramos,
Arduus & mediis latratibus arrigat aures,
Cornua cum crepuêre, ruuntque à montibus urſi:
Ardeat & denſas curſu perrumpere ariſtas,
Per ſegetes ſi quæ ſonuit fera: ſeu lupus imâ
Valle fugit, campoque volans cita cerva patenti.
Cum redit, actutum fumantes intege coſtas,
Ferventemque fove ſtabulo & præſepibus altis.
Antè tamen quàm regales tradatur in uſus,
Aſſiduo cultu, & longâ ferus arte domandus.
Fortè modum quæras, quo diſcant regia collo
Frena pati, & faciles præbere ſedentibus armos?
Mane novo cùm rector adeſt, ſonuitque flagello,
Deducunt famuli alipedes, atque ora capiſtris
Impediunt, nareſque tenaci forcipe prenſant.
It ſaliens animoſa cohors, ubi circus arenæ
Pan-

Panditur, & viridi circumdatur area limbo.
Hic ſonipes curvis exercet flexibus artus,
Inque latus pendens alternos crura per orbes
Volvit, anhelanti ſimilis: mox tramite recto
Funditur, & ſummas fugiens vix ſignat arenas.
Haud aliter puro ſublimis in aëre Niſus
Pendet, & immotis tacito natat æthere pennis,
Lentus agens gyros, vicinaque ſidera luſtrans.
Tum volucrem ſi fortè videt ſub nube columbam,
Igneus in prædam pernicibus emicat alis:
Illa volat, celereſque fugâ prævertitur Euros,
Nec minùs hic pennâ timidam ſtridente fatigat.
Hoc Princeps juvenis ſtadio exercetur, equoſque
Et freno diſcit regere, & calcaribus uti.
Primùm utero procul averſas extendere calces
Sit memor: aſſiduo ne ſaucius ilia pulſu
Sæviat, & mediâ ſeſſorem effundat arenâ.
At latera atq; armos genibus premat. Omnis ab armi
Motibus ars pendet, nec ſolas audit habenas
Acer equus: celſum arrectas ſeu tollere in auras,
Flectere ſeu lubet obliquo veſtigia greſſu,
Tranſverſumq; movere latus (velut æquora cancri
Ima legunt) ſaltuque humilem tranſmittere ſepem.
Sunt quoque qui ſtantes, vacuâ cervice prehensâ,
Currentem ſaliunt in equum, tergoque feruntur.
Curſu alii in medio jaculatas ſulfure glandes
Intenduntque ſcopo, & palmæ ſectantur honorem.
Tollitur in cælum vario certamine clamor.
Sunt etiam juveni ſpectacula Principe digna,
Egreſſum caveâ villis nigrantibus urſum,
Quem tenuit carcer ferratis undique pinnis,
Commiſſum ſpectare lupo, canibuſve Britannis,
Attollentem humeros erectum, atque ore frementẽ,
Amplexuque feras angentem ad pectora preſſas.
Aut tygres contra maculoſas ire leonem
Unguibus horrendũ: aſt illas hinc ſaltibus, atq; hinc

Vertere ſeſe agiles, aſtuque evadere rictus.
Hos motus, iraſque ſonanti fiſtula nitro
Circùm exploſa premit, fumoque ac ſulfure terret:
Proripiunt ſeſe, caveiſque & carcere condunt.
Et juvat in lucos latrantibus ire moloſſis,
Silveſtremque agitare ſuem: morſuque prehenſis
Auribus, hinc illinc collo pendêre tenaci
Dente canes: fixo donec trans ilia ferro
Volvitur, & nigrum moriens vomit ore cruorem.
Nunc leporem hirſutis latitantem expellere dumis,
Agmina ſectari perdicum, ipſaſque volantes
Dejicere, & nimbo crepitantis ſternere plumbi.
Scilicet his ſtudiis curæ minuuntur edaces,
Et regni relevatur onus. Nunc cantibus aures
Intentas adhibere juvat, citharæque canoræ.
Quippe decent magnos hæc oblectamina reges:
Teſtis avus, Leopolde, tuus: quo doctior alter
Non fuit Auſtriadûm diſcrimina ſcribere cantûs
Tanſverſis ſignata notis: ubi dirigit artem
Linea, ſublimeſque docet nunc tollere in auras,
Nunc in humum labi, tremulamq; revolvere vocẽ.
Infamem interea Venerem declinet, & ignem
Idalium, nigro quâ nulla nocentior Orco
Profilit, atque animos peſtis conſumit inertes.
Quid? quod & exemplo proceres trahit? Hinc ſcelus
Funditur, & totâ illuvies dominatur in aula. (omne
Grande nefas, odiſſe probos, quorum agnita virtus
Terret, & innocuis ſceleratos moribus urit.
Adde quod eſt ſceleri terror comes, & Deus ultor
Imminet. Imperium Babylonis rege perempto
Delicias luxumque inter nox abſtulit una,
Diviſumque dedit Medo. Quis crimina neſcit
Impia, & innocuos telo ſtridente petitos,
Præcipitiſque fugæ cædem, diſperſaque caſtra
Ciſſiadæ? patrios qui ſparſit ſanguine montes
Enſe ſuper ſtricto incumbens. Quid cetera dicam

Sup-

Supplicia, inque bovem verſo tranſiſſe tyrannum
Corpore, mugitu lambentem paſcua torvo?
Quid pulſum regnis, Brutoque ultore fugatum
Tarquinium, thalamos auſum inceſtare pudicos?
Non eget exemplis feralibus indole natus
Auſtriacâ. Nec enim ingeniti domus illa pudoris
Immemor, aut tædæ ſocialis adulterat ignem.
Mirabar cur priſca Aquilas inſignia geſtent.
Cauſa patet: caſtum illa genus, mentiſque rigorem
Significant, duræque animum virtutis amantem.
Quippe Aquilas ſemper molles fugêre columbæ,
Devotæ Veneri volucres, tectoque latentes.
Solem Aquilæ radioſq; ferunt, & in æthera gaudent
Tendere iter pennis, humileſque relinquere terras.
Tum volucrem celſis deprenſum in nubibus hoſtem
Armatum, & roſtro pariter nerviſque valentem,
Unguibus invadunt, generoſaque prælia miſcent.
Hæc eſt Auſtriacæ veriſſima gentis imago,
Hoc decus, hæc propria eſt antiquæ gloria ſtirpis,
Virtutis per iter conſcendere culmina famæ,
Sternere ferro acies, hoſtes ſuperare ſuperbos,
Illecebras Veneris contemnere, cingere lauro
Tempora, perpetuis bellum finire triumphis.
Hanc in ſpem te fama, puer, te ſplendor avorum,
Teque patris virtus præſens vocat. Indue mentem
Dignam Aquilis, tantiſque parem natalibus, & te,
Et tua venturi mirentur facta nepotes.
Interea dum prima nitens tibi flore juventus
Surgit, & ad ſceptri paulatim adoleſcit honorem,
Perge animum excolere, & ſtudiis vigilare ſeveris,
Atque onus imperii meditari, artemque regendi.
Prima elementa tibi noſtræ cecinêre Camœnæ,
Virtutiſque viam monſtrarunt. Nunc juvat alto
Saxa notare mari, ſcopuloſque aperire latentes,
Naufragio regum infames, populique ruinâ.
Imprimis regni caveat moderamina Princeps

Linquere concilio procerum, dominiſque miniſtris.
Et re, non ſolo præſtet ſe nomine regem.
Deſidia imperii peſtis. Nîl Principe molli
Turpius, & comites ſceptri fugiente labores.
Privatum interea videas pingueſcere cenſum,
Jura patêre dolis regalia : dum ſua quiſque
Commoda (communi neglecto fœnore) quærit
Per fas, perque nefas, & vectigalia fraudat.
Tum furtim ablato minuunt æraria fiſco
Auri avidæ prædæque manus. Sic maxima quippe
Regna cadunt. Succedit iners & turpis egeſtas
Principis : imperii ſpoliis onerantur avari.
Regibus à noſtris Dii talem avertite peſtem.
Theſauros & opes majeſtas ſola requirit.
Adde onus, & curam regni populique tuendi
Hoſtis ab incurſu, pretioſaque tempora belli.
At ſudore tamen miſerorum & ſanguine Princeps
Abſtineat, caveatque inopes cum civibus urbes
Immiti vexare jugo, victumque diurnum
Tollere, calloſique penum exhaurire coloni.
Sæpe etenim hibernâ villæ ſtatione gravantur,
Aſſiduoque veru, & lautæ nidore culinæ
Abſumptos luxêre greges. Tria veſpere ſero
Fercula ſeptenis onerantur lancibus, ollæque
Ingentes fumant. Neque villicus hiſcere contrà
Suſtinet, aut tergo gladios ſentire ſonantes
Cogitur, & ſiccâ detergere vulnera mappâ.
Hinc miſtæ gemitu voces, hinc murmura plebis,
Iræque & rabies : hoc denique ſemine nata
Seditio : armatæque manus, populique rebelles
Excuſſêre jugum : raptiſque penatibus, ultrò
Hoſtiles acies, inimicaque caſtra ſequuntur.
Omnibus his accenſa malis vigilantia creſcat
Principis, & pœnas ſcelerato à milite poſcat.
Pœna manus cohibet rapidas, laqueuſque paratus
Terret. In exigui deprenſum crimine furti
Pen-

Pendentem celsâ vidi trabe. Lege feverâ
Compefcenda venit violenti audacia martis.
Adde quod ante aciem trepidus ftet ventris obefi
Miles, & affuetus patinis, pinguique rapinæ.
Strenuus ille manu, qui duros mille labores,
Pauperiemque pati, & galeâ potare paludem
Promptus erit, durâque famem fedare farinâ,
Et rigidum tolerare gelu, folemque potentem.
Ergo militiæ injuftas compefcere prædas
Cura fit. Hîc princeps Rhadamanthi immobile pectus
Induat, immiti lacerantis terga flagello,
Fluminibufque, rotifque, & vafti pondere faxi
Torquentis Stygio fceleratos carcere manes.
Munificus contrà fit fortibus. Utque triumphans,
Victor & à pugna miles redit : agmina coram
Infpiciat, crebrâque ducum ftipante coronâ,
Et merita, & laudes redeuntûm, & nomina difcat.
Impia præcipuè documenta, librofque nocentes,
Et Machiavellum, ftygiique volumina monftri
Horreat à teneris Princeps. Perfufa veneno
Pagina, contemptrixque Dei rerumque facrarum,
Quid licitũ, vetitumve, probet vel damnet Olympus
Nîl curare docet. Nec honefti gloria mordet,
Sed thalamo vitium & virtus fociantur eodem.
Unius hic curam (quafi nullus in æthere vindex
Sit fuper, atque animæ fato folvantur in auras)
Utilitatis habet, præfentifque omnia vitæ
Metitur fpatio, venturaque fecula ridet.
Principio tali quæ dein præcepta fequantur
Digna vide, rivofque impuri refpice fontis.
Nempe licet, quodcumq; juvat. Non vincula regem
Ulla ligare valent, nec habent perjuria crimen:
Caufaque fe facilis violandi fœderis offert,
Ficta licet : vario quam obvolvere juris amictu
Conveniet. Si nulla fubit : fi deficit omnis
Juftitiæ, jurifque color, neque tædia pacis

Ferre vales : vicina dolis vexare memento
Regna, nec opprobriis dubita proſcindere , donec
Arma laceſſiti cogantur ſumere reges.
Te propriæ timeant gentes, nomenque tyranni
Lætus ama, nec amore animos vincire labores.
Nexus amicitiæ ſciſsâ procul exulet aulâ.
Divide concordes animos : ſere ſemina rixæ
Perpetuæ, alteriuſque alius conatibus obſtet.
Quæris relligio quæ præſtet ? Nulla tenenda
Regibus. Eſt ſua cuique Deus fortuna : nec auro
Nobilius toto dominatur in æthere numen.
Scilicet hæc illa eſt ſpecies & forma politi
Principis. An poſcant alium ſibi Tartara regem ?
Cetera quid referam fœdi portenta magiſtri ?
Romanam ut laceret Sedem, Moſemque cruenti
Arguat imperii, cæli nec amore ſubactos,
Sed ferro narret populos ? ut priſca, recenſque
Relligio dilapſa leves vaneſcat in auras,
Cæcaque fortuito credantur ut omnia motu
Incertas mutare vices, fatove revolvi.
Heu quantus miſeros mortales decipit error ?
Exitium non antè vident quàm ſæva flagellum
Tiſiphone quatit inſultans, ſequiturque nocentes.
Nam quicumque ſacræ rupêrunt fœdera legis,
Auſoniæque fidem , poſitamque in rupibus arcem
Deſeruêre, citâ regnum involvêre ruinâ,
Si priſcis ſit habenda fides Annalibus. Amplam
Conſtantini urbem, ſceptrumque Orientis habebant
Chriſtiadæ, donec ſervabant integra ſummi
Jura Sacerdotis, Romanaque ſacra colebant.
Tunc cecidit, manibuſque extorſit Turcia noſtris
Imperium, cum nata cavis in faucibus Orci
Hæreſis Eöis vomuit contagia terris,
Perfida cumque aris divortia fecit avitis.
Has læſi pœnas Deus exigit ultor honoris.
Thracia quin etiam (quantumvis barbara, & aris
Sacri-

Sacrilegis vani nomen Mahumetis honoret)
Myſtarum tamen arbitrio ſpem credere martis
Dicitur : & quoties ſacri conſulta ſenatûs
Spreta jacent, certâ toties temeraria clade
Bella luunt : laqueo reduces periêre tyranni.
At tantùm ſi vana furit, pœnaſque repoſcit
Læſa ſuperſtitio : quæ nos vindicta ſequetur,
Impia deſerto Latio ſi caſtra ſecuti,
Scindamus fidei nativa exordia noſtræ?
Ergo omnes ſuperet curas Romana potenti
Auxilio tutanda fides. Hoc cardine regum
Vertitur omne decus, ſors & proſperrima regni.
Invidiæ quoque peſtis edax vitanda. Tot hydris
Pullulat, alterius titulis quot gloria ſurgit.
Ambitio monſtrum peperit, Diſcordia pavit.
Quæris cur noſtris Oriens non ceſſerit armis?
Obſtitit Europæ livor. Dum Cæſar ad Iſtrum
Fulminat, atque aquilis auroræ limina terret;
Irruit à tergo, palmæque retardat honorem
Invidus, arma movens. Verſas Victoria pennas
Flectere, & in geminum ſe ſcindere cogitur hoſtem.
Sic inclinatæ per crimina noſtra reſurgunt
Res Aſiæ, & fractæ reparantur cornua Lunæ.
O pudor! ô patriæ ſcelus indelebile noſtræ!
Cur non unanimes coëunt in fœdera reges,
Communemque premunt armis ſocialibus hoſtem
Litus ad extremum Libyæ, Scythiæque paludes?
Jam nunc terga fugæ dat Turcia: nec tamen omnes
Explicuit fortuna ſinus : movet agmina ſolus
Carolus, Auſtriacoque reportat milite palmam.
Jungite Chriſtiadæ vires : ferte agmina campis,
Vela mari, geminumque alacres accendite martem.
Non vos pugna vocat, ſed præda : ſecate tyranni
Imperium, & certi in partem properate triumphi.
Cernite captivas Solymam trans æquora palmas
Tendentem. Tædet miſeram tot ferre labores
Vin-

Vinclorum, & servæ stridorem audire catenæ.
Jam nunc, nulla mora est, vobis septem ostia Nilus
Pandit, & æternis Tanais juga cana pruinis.
At si nulla movet tantarum gloria rerum,
Austriaci saltem fortunam avertere martis
Parcite, fraternisque moram ne ferte tropæis.
Invidia obscœnas stimulis exerceat umbras,
Tartareosque agitet manes. Vos ætheris alti
Expectat post fata domus, sedesque piorum
Elysiæ, & manibus felix concordia nexis.
Nec decet horrentem reges attollere frontem,
Lumina perpetuo versare ferocia fastu,
Accessumque arcere metu. Sit amabilis oris
Majestas, animumque serena modestia mitem
Arguat. Inviso facies sit torva tyranno,
Quem proceres odêre trucem, dirisque merentem
Devovet, & tacitis lacerat plebs territa votis.
Ergo nec faciles præbere petentibus aures,
Nec pigeat justas miserorum audire querelas,
Annonâque levare inopes, miserescere sortis
Afflictæ, tenuisque laris. Juvet extera messis
Proventum patriæ sterilem, sulcosque vacantes.
Plenaque felices fœcundent horrea gentes.
Plura quidem vati superant memoranda: sed œstro
Hæc alii graviore canent. Me tarda senectus
Admonet, & juvenum prohibet tentare labores.
Viribus hoc impar nostris onus. Accipe Cæsar
Quæ dedimus, placido, quo respicis omnia, vultu.
Sæpe placet superis magno minor hostia tauro,
Cui pretium pietas, & dives amore voluntas
Ferre solet, donoque animus pretiosior omni.
Audacem me fecit amor, stimulosque potentes
Subdidit, Austriacâ quæ surgit origine proles,
Et patris virtus, & avorum gloria, quæ nunc
Principe te toto formosior orbe coruscos
Emittit lucis radios, famamque priorum
Vincit, & æternis addit tua nomina fastis.

LIVINI
MEYERI
E' SOCIETATE JESU
ELEGIARUM
LIBER II.

ELEGIA I.

AD VIRGINEM MATREM,

Quæ Lovanii colitur in Æde Sacra Societatis Jeſu, cùm ejus ope implorata à gravi morbo convaluiſſem.

DEbitor auguſtas ſupplex provolvor ad aras.
Munera, corque tui, Diva, clientis habe.
Parva quidem tibi dona fero : niſi parva negare
Illa licet, magnus quæ tibi vovit amor.
Munus erit carmen deductum paupere venâ.
Has fortuna mihi tollere neſcit opes.
Gemmea dent alii, totas quibus India merces
Mittit, & aurifero prodiga terra ſinu.
Me mea paupertas vitæ traduxit honeſtæ,
Et bona fluxuris nobiliora dedit.
Parcite cenſores, non vobis noſtra laborat
Pagina, nec longâ quæritur arte decus.
Non mihi ſit tanti, ut vulgi præconia captem,
Atque aliquod vatis nomen inane feram.
Fama alios Phœbuſque juvet, Phœbique ſorores.
Quæ canitur, vatis gloria Mater erit.
Tu modò materno mea munera reſpice vultu:
Optima ſunt, animus quæ pretioſa facit.
Vovimus hæc nuper, modò ſolvimus. Haud mora (nobis
Libera : ſegnities crimine nulla vacat.
Jam quoque plus æquo tenuiſſe ſilentia culpor,
Meque reum voti turba ſevera vocat.
Da veniam, facto ſi quid peccavimus iſto.
Præcipitem juſtæ detinuêre moræ.
Hactenus invalidæ prohibebant carmina vires,
Otia nec Muſis apta fuêre meis.
Nam modò me curæ ſtudia ad graviora trahebant,
Pulpitaque inviſæ litigioſa ſcholæ.

Et

Et modò vexabant veteris faſtidia morbi,
  Qui ſolet ignavo lentus abire pede.
Cumque ſuo pariter languebat vate Thalia,
  Pallidaque, & domino concolor illa fuit.
Ut valui, muſiſque pares redière calores;
  Diva tuas laudes, & mea vota ſequor.
Scilicet occideram, nec ſpes erat ulla ſalutis,
  Perſephone noſtras ſtabat ut ante fores.
In me fatalem Dea fuſca tetenderat arcum,
  Filaque erant vitæ ſemireſecta meæ.
Luctibus in tantis lenimen ſola tuliſti,
  Cum prope lethæis umbra vagarer aquis.
Ipſe (recordor enim) cùm me gravis ureret æſtus,
  Auxilii ſenſi pignora certa tui.
Nam neque tunc vernæ ſuccis vitalibus herbæ,
  Tritaque cum ſalibus grana tuliſtis opem.
Non poterant ulli vires reparare ſapores.
  (Hei mihi quàm morbi lethifer ardor erat!)
Omnia tentavit medicæ ſolertia dextræ,
  Miſcuit & quotquot germina nutrit humus:
Omnia pervicit creſcens medicamina febris
  Ignea, bis quinos continuata dies.
Quænam ego tunc Superis concepi ſeria vota!
  Vota tamen miſero non valitura mihi.
Turba ſodalitii quondam fidiſſima noſtri,
  Morbi, quâ potuit parte, levavit onus.
Vos mihi cum lacrymis ſolantia verba dediſtis.
  (O nimium noſtris pectora mota malis!)
Pro quibus officiis plenos virtutibus annos
  Dent Superi vobis, diſſimileſque meis.
Fataque dum venient (quæ vobis ſera precamur)
  Vita per articulos tota ſit alba ſuos.
Dî faciant, canis memoretis ut illa capillis,
  Votaque ſpectetis noſtra valere ſenes.
Plura loqui volui; ſed vocibus obſtitit ortus
  Languor, & officium lingua negabat iners.

Pro-

Protinus è ſociis aliquis, ſeu percitus œſtro,
  Seu fuerit vitæ tactus amore meæ :
Pone metum dixit, non te violentia morbi
  Auferet, ut medicæ nîl juvet artis opus.
Certior è cælo ſupereſt medicina; nec umquam
  Ferre laboranti Diva negavit opem.
Tu modò ſpem certam, cæleſti matre vocatâ,
  Concipe : votivas audiet illa preces.
Audiet, exemplo populi teſtata precantis,
  Ire ſalutiferas ad pia vota manus.
Nec Virgo eſt nobis peregrina; domeſtica certe eſt.
  Principium cultûs hæc dedit ara novi.
Addidit ornatus cæleſti Principe dignos,
  In quibus ars pretium vincere rara poteſt.
Aſpice, maternis ridet puer aureus ulnis,
  Et faciem populi vota probantis habet.
Vidimus hinc ſalvos ſubito rediiſſe favore,
  Corporaque antiquis ſæpe levata malis.
Sæpe tulit votum pro conjuge nupta marito,
  Ut redit, incolumem repperit illa virum.
Sæpe puer partu nequiit relevare parentem,
  Nec mora: promiſſo munere, natus erat.
Sunt quoque quos medico febris mirante reliquit.
  Sunt quoque queis læſo ceſſit ab ore tumor.
Sive caput doluit; ſomni pepulêre dolorem :
  Sive latus: lateris Diva levamen erat.
Denique nulla mali ſpecies non victa receſſit.
  Pars o! ſis turbæ parva precantis idem.
Eia age (quid ceſſas?) votivum concipe carmen.
  Ne dubita, magni muneris inſtar erit.
Hoſſchius exemplo docuit, quid carmina poſſint:
  Vovit, & à voto convaluiſſe liquet.
Ille quidem pallens ſenſuque & voce carebat,
  Morſque avidam lecto moverat atra manum.
Virginis imperio fugiens Libitina receſſit.
  Soſpes io! vates carmina vota canit.

Quis

Quis vetet exemplis ſperare levamen ab iſtis?
  Spes tua, tot ſalvis, quos imitetur habet.
Finierat: Divæ pictos in imagine vultus
  Obtulit: aſpectu viſa favere ſuo eſt.
Accipio, manibuſque premens, atque oſcula figens,
  Adduxi labris dulcia labra meis.
At mihi neſcio quis ſubitò calor oſſa peredit,
  Non qualem tabes antè movere ſolet.
Spes ſimul affulſit, deſideriumque ſalutis,
  Et vigor in gracili corpore mentis erat.
Atque ita, Mater opem præſta mitiſſima dixi;
  Nam potes, & titulum Diva medentis habes.
Nec tantum vitam, quantum tibi vivere poſco,
  Cultoreſque inter nomen habere tuos.
Non ingratus ero: ſi quid facundia poſſit,
  Materies noſtri prima laboris eris.
Et tua dona canam, nec erit qui neſciat illa,
  Omnibus occurrens verba diſerta feram.
Audiet hæc Oriens, & Veſper, & incola ſi quis
  Extremi latitat fortè ſub axe poli.
Non mihi tunc Graios quiſquam conferre Poëtas
  Audeat, aut vates aurea Roma tuos.
Quid canitur toto niſi pellex improba libro,
  Cynthia ſeu vati, ſive Corinna ſuo?
Quàmlibet obſcœni vobis recitentur amores:
  Scribam ego, quæ caſto quilibet ore legat.
Et neque materiâ fuero nec amoribus impar,
  Rivaleſque meus cedere coget amor.
Quæ moveat noſtros ecqua eſt formoſior ignes?
  Ullane cui ſocio tanta in amore fides?
Certè ego ſi nigri ſpectem deformia regni
  Atria, latratu quà tria colla ſonant:
Virginis inclamans fidos declivis amores,
  Eripiar, ſuperis reſtituarque locis.
O amor! ô in me vires dulciſſime confer.
  Accipiant blandas pectora tota faces.

Urite

Urite me ſacræ, nîl deprecor, urite flammæ.
  Ah utinam hæc lethi ſit nova cauſa mei!
Cur ego pro vita demens anniſque rogavi?
  Mors placet; hæc vitæ fons melioris erit.
Dummodò te ſpectē moriens, voxq; ultima nomen
  Diva tuum tacitis ſpiret anhelitibus.
Talia volventis furtim ſopor occupat artus.
  Ultima ſed noſtri nox fuit illa mali.
Evigilo: ſolito corpus languore carebat.
  Perdiderat vires febris anhela ſuas.
Si qua fuit, membris non obſervabilis hæſit.
  Sic nova, Diva tuo munere, vita data eſt.
Et dubitem meritas Matri perſolvere grates
  Et dare promiſſis tempora prima meis?
Tum neque pectoribus creſcentis ſemina ferri
  Deſint, & medio ſtet mihi corde lapis.
Tunc ego convincar formas minuiſſe Deorum,
  Et patrio tinctas ferre cruore manus.
Aut ſi quod ſcelus eſt antiqua quod horruit ætas,
  Omnis erit facto culpa recente minor.
Ante ſed (ô!) moriar, quàm muneris immemor hujus
  Arguar, & præſens ſit mihi ſumma dies!
Non, non me meriti capient oblivia tanti,
  Semper & officii debitor hujus ero.
Te formoſa canam, te fœcundiſſima matrum,
  Quæ reparas partu ſecula noſtra tuo.
Turba vetus cedat ſcriptorum, turba recentûm.
  Materiâ vincam carmen utrumque novâ.
Vos veteres, fratrum diſcordia mœnia, Thebas
  Dicite, & Iliacæ funera lenta domûs.
Illis faſtus ineſt. At caſti Mater amoris,
  Ut canitur, pretium carminis ipſa venit.
Magna datur merces: priſcorum vana valete
  Somnia: quem Vatûm fabula ſicca juvat?
Ad nova Virgineos vultus adhibere ſodales
  Carmina, maternus quæ mihi dictat amor.

Tuque

Tuque parens, cùm me ſupremus aduſſerit ignis,
 Principium vitæ tunc melioris ades.

ELEGIA II.

IN BEATI JOSEPHI ET MARIÆ

Sacras nuptias.

HUc ades intacti cuſtos Joſephe pudoris.
 Te decet ad caſtas ſponte venire faces.
Te properare decet, quando jam lapſus Olympo
 Ipſe parat tædas, & tibi portat Amor.
Læta dies fulſit, ſacra quâ connubia jungas.
 En parat ornatus Regia ſponſa ſuos.
Non illam gemmæ, Tyriæ non purpura lanæ
 Ornat, non auri dote ſuperba venit.
Dos eſt Virginitas, dos eſt pretioſior auro
 Virtus, dos nullâ labe notanda fides.
Terra ferat flores, diffundant ſidera nectar,
 Lilia præcipuè verna miniſtret humus.
Igne foci rutilent, Panchæaque thura vaporent,
 Nutriat ornatas candida cera faces.
Sponſe veni (quid enim communia vota moraris?)
 Expectant tædas ſecula longa tuas.
Ipſe Amor accinctus peraget nova ſacra ſacerdos,
 Juſſus inaſſuetâ lilia ferre manu.
Ipſe dabit digitis aurum, zonamque ligabit
 Arctiùs, ut nullâ vincula parte cadant.
Et fœcundus erit, nec erit tamen ignis in illo.
 Gratia naturæ vincet inertis opus.
Fallor, an Eöâ ter parte recanduit æther,
 Flammaque de cælo proſpera ſigna dedit?
Non fallor: reſonat ſuperis Hymenæus ab oris,
 Carmina virginibus ſed tamen apta canit.
Turbaque ſpectatrix ſummo deſcendit Olympo,
 Et rata quod firmet fœdera Numen adeſt.

Caſta ſuper niveis volitat Concordia pennis,
Vittaque cæleſtes impedit alba comas.
Thura focis da ſacra puer : procul imber & Eurus.
Hæc ſine ſtet ventis, ſtet ſine nube dies.
Quiſquis ades ſacris, felicia concipe vota.
Quiſquis ades, tacitas pectore funde preces.
En properat, ferturque ſacras Joſephus ad aras,
Et ſequitur flavis ſponſa decora comis.
Hanc Decor, ut graditur, furtim componit euntem.
Hanc Pudor accenſas ventilat ante faces.
Hanc ſuper exultans roſeas Amor explicat alas,
Cui pharctra ex humeris & nova tela ſonant:
Non quibus ignaros Paphiis ab oloribus urit,
Pectora maternas dum ferit inter aves:
Pura ſed innocuis ſtringit præcordia flammis,
Qualia non nervo miſerat ante puer.
Tempus adeſt, & pompa vocat: date fœdera dextris,
Digne vir hâc ſponsâ, ſponſaque digna viro.
Ne dubita Joſephe, ſacri ſecurus amoris
Adde maritales in nova vincla manus.
Tu quoque quæ toto graderis pulcerrima templo,
Ne timeas ſocii nomen inane viri.
Sanctus Hymen puros accendet amantibus ignes.
Non tibi vir poſiti cauſa pudoris erit.
Virginitas fœcunda dabit ſine conjuge prolem.
Hoc tibi divinus præcinit omen Amor.
Annulus articulos ſubiens connubia firmet,
Clarus & in niveo Sardonychus digito.
Annule divini monumentum & pignus amoris,
Artifices nullæ te tetigêre manus.
Nec tibi materiem Ganges dedit : ille rubentes
Aurifero quamvis gurgite ditet aquas.
Te Pater è ſummo ſponſor demiſit Olympo,
Ut referas caſto vincula pura toro.
Per te conjugii (quod non prior audiit ætas)
Nulla pudicitiæ damna ſubibit amor.
Spon-

Sponſa viro gaude ; cuſtos erit ille pudoris,
Exemploque trahet pectora noſtra ſuo.
Uſibus à veſtris ſurgent nova fœdera nuptis,
Et feret in vacuo ſponſa jacere toro.
Virque, velut cælebs, uxorem more ſororis
Diliget, & ſolo jure maritus erit.
Aut ſi quos faciet proles concepta parentes,
Mutua legitimo ſtabit amore fides.
Non externa ferent lecto veſtigia crimen,
Ignotumque orbi nomen, adulter, erit.
Atque oculis atque ore puer matremque patremque
Exprimet, ut noſci poſſit úterque parens.
At Pietas parvos cunis affuſa nepotes
Nutriet, & mores ſancta docebit anus.
Nec tædebit avum fidei primordia noſtræ,
Sacraque cum puero dicere verba ſenem.
Tota domus, ſine lite, dabit virtutis odorem.
Diva fac ut thalamis hic ſibi conſtet honos.

ELEGIA III.

GABRIELIS ARCHANGELI

Pro nuntiando Incarnationis Myſterio ad Virginem legatio.

FAs mihi ſit veterum ſcrutari oracula Vatum.
Uranie cœptis annue Diva meis.
Tu cæli ſoliſque vias, tu publica mundi
Sidera, tu rerum tempora cuncta notas.
Ecquid, ut in magno volvuntur ſecula mundo,
Tempus, quo ſtabili pace fruamur, erit?
Hactenus invidiâ ſerpentis & arte malignâ
Eſt Stygiæ nobis ſemita trita viæ.
Longaque poſteritas, vetiti poſt crimina rami,
Exitium à primo læſa parente trahit.
Siccine perpetuâ miſeros damnare ruinâ
Numen, & exilium ſine carere cupit?

Diva doce, neque poſcenti præſagia vati
  Subtrahe : ſollicitum publica cauſa facit.
Finieram ; taleſque mihi de parte ſerena
  Aut dedit, aut viſa eſt aura dediſſe ſonos:
Quod petis, æthereis referet delapſus ab oris
  Arcanum peragens nuntius ales opus.
Reſpice pendentem niveis ſuper æthera pennis,
  Quà brevis ad pontum Sidonis ora jacet.
Jam propior terris montana cacumina ſtringit,
  Cycnus uti gyro devolat aërio.
Neve reformides fatorum diſcere cauſas,
  Accipe quæ memori ſingula mente notes.
Rure Palæſtino locus eſt, ubi cara Tonanti
  Incolit exiguos Regia ſponſa lares.
Quam licet exornet naturæ dote juventus,
  Grata tamen magis eſt moribus illa ſuis.
Nec tantùm, flavis quod tota ſit alba capillis,
  Nec tantùm, facies quod ſit honeſta, placet:
Quantùm quod primis probitas permanſit ab annis,
  Et coluit ſanctos virginitate focos.
Ergo ubi propoſuit veteris contagia culpæ
  Tollere, & afflictis Numen adeſſe reis:
Quæque tribus media eſt, proles æquæva parenti,
  Viſere ſubjectam non dubitavit humum:
Mittitur aligerûm lectus de millibus unus,
  Qui peragat demptâ juſſa paterna morâ.
Ille Palæſtinam volucri petit ocior Euro,
  Nec mora : virgineas conſtitit ante fores.
Nocte preces Virgo cæleſtia penſa trahebat,
  Inque manu ſacræ pagina legis erat.
Limen ut intravit, parvi fulſere penates.
  Sicut erat, poſito reſpicit illa genu.
Obſtupuit ſpecieque viri luciſque nitore,
  Albaque purpureus tinxerat ora rubor.
Haud aliter ſeris abitura caloribus æſtas
  Candida puniceo poma colore notat.

Ille

Ille ſalutatæ poſtquam removere timorem
  Suaſerat, eſt orſus ſic prior ore loqui.
O Superis dilecta! ſibi quam jungere ſponſam
  Ardet inexpleto caſtus amore puer.
Te reliquas inter ſolam ſuſpirat amantem,
  Lucida qui nutu temperat aſtra ſuo.
Te cupit, èque tuo naſci dignabitur infans
  Sanguine, quem totus non capit orbis, amor.
Verba fidem vincunt, tamen eloquar: accipe Virgo
  Quæ me Majeſtas pandere ſumma jubet.
Mater eris, Materque Dei. Silet illa, ſimulque
  Anxia miratur verba quid iſta velint.
Et trepidat, titulumque horret caſtiſſima matris.
  Tanta verecundi cura pudoris erat.
At juvenis mirâ rerum novitate paventem
  Erudit, & vanos cogit abeſſe metus.
Atque ita, quid dubitas? fies ſine conjugis uſu,
  Dixit, & intactâ virginitate parens.
Ille tibi nullis naſcetur amoribus infans,
  Nec trahet humanâ conditione genus.
Naturam ſuperabit opus. Tu lenta morari
  Deſine: prægnantem gloria quanta manet!
In mala præcipitem partus tuus eriget orbem,
  Proferet & meritis regna paterna ſuis.
Hunc puerum, hunc olim vates cecinêre futurum,
  Qui miſeris tutam monſtret ad aſtra viam.
Obſes & ultor adeſt; manes gaudete priorum,
  Quos retinent Stygiæ limina prima domûs.
En erit illa dies luxque optatiſſima votis,
  Vincula quâ fractâ ſolvet ahena ferâ.
Urna triumphatas ſpectabit victa cupreſſos,
  Ibit & à buſtis umbra ſoluta ſuis.
Felices animæ! quarum pius agmina ducens
  Carmina Jeſſides nunc meliora canet.
Læta triumphali præcingite tempora lauro,
  Debitaque ultori ſolvite vota Deo.

Talia narrabat, venturaque fata docebat.
  Singula divinæ pondera vocis habent.
At Virgo interea divini conſcia partûs,
  Nomen honoratæ nobile matris amat.
Totaque cæleſti ſic ſaucia languet amore,
  Liquitur ad poſitos ut nova cera focos.
O quæ virgineæ conjuncta modeſtia formæ eſt!
  Quantum oculis blandæ ſimplicitatis ineſt!
Ardet amans, nec tota tamen formidinis expers
  Fluctuat: incertam ſpeſque timorque facit.
Et cupit, & metuit monitis parêre tonantis:
  Pondus ineſt geminæ, cauſaque juſta moræ.
Nam modò majeſtas terret; neque digna videtur
  Quam cumulet tanto matris honore puer.
Et modò neſcio quo rapitur ſublimis amore.
  (Non cadit in muſas impetus ille meas)
Utque loqui potuit (cæli reverentia mutam
  Fecerat) in famulæ voce diſerta fuit.
Nec mora, divinæ rata ſint oracula vocis
  Optat, & aſſenſu comprobat illa ſuo.
At juvenis procul in tenues evanuit auras.
  Ille volat: caſto concipit illa ſinu.
Non aliter radiis prægnans ubi matutinis
  Vernat humus, tepido lilia rore tument:
Idaliæque roſæ Zephyris florentibus auctæ
  Latiùs humentes explicuêre ſinus.
Viſcera (ſenſit enim) virtus occulta pererrat,
  Membraque divinus parvula fingit Amor.
Mortales ſperate: auctor vindexque ſalutis
  Vivit, & occultum creſcere pergit onus.
Parva mora eſt, novies repararit cornua Luna,
  Ubera virgineo candida lacte trahet.
Bellaque concedent niveæ fugientia paci,
  Et facies ſeclis aurea rurſus erit.

ELE-

ELEGIA IV.

AD NOCTEM DOMINI

Natalem, ut properet.

CAndida nox, rutilis frontem circumdata ſtellis,
  Flecte precor curſus ad mea vota tuos.
Nec tenebris abſconde caput; ſine nubibus atris
  Tota veni, purum Luna miniſtret iter.
Heſperus & nullas meditetur ferre pruinas.
  Aura gelu, madidis abſtineatque Notis.
Regnet, & in niveis Zephyrus mitiſſimus alis
  Temperet afflatu frigida ſigna ſuo.
Nox puerum formoſa ferat: nunc omnia lucem
  Aſtra ſuam geminent, omnia rore fluant:
Omnia feſtivis rutilent pulcerrima flammis,
  Oceanum gyro non ſubeantque ſuo.
Aurea nox, nox ſacra, dieque beatior omni!
  Deſine veloces lenta movere rotas.
Dum tu ſegnis abes, mundi fortuna laborat,
  Humanumque premunt vincula dura genus.
Pelle moras: uni victus tibi ſupplicat Orbis.
  Ni properes, populos longa ruina manet.
Nec ſumus ingrati; modò dextra precantibus adſis,
  Te pia neglecto turba ſopore colet.
Ferreus eſt, qui non vigiles tunc cantibus horas
  Ducet, ab ignavo proſilietque toro.
Non mihi tunc totis Lethæa papavera ſuccis,
  Theſſala non ſomnos conciliabit anus.
Ergo affuſa genu pia plebs præſepia circùm
  Alternâ feriet pectora nuda manu.
Et modò ſpem capiet, lacrymis modò priſca piabit
  Crimina: facundus cetera dicet amor.
Scilicet hîc Venerem, commiſſáque flebit adulter,
  Deque ſinu raptas ponet avarus opes.

Atque aliquis trepidans venturi judicis iras,
  A puero veniam qui reus optet, erit.
Spernere non poterunt molles ſuſpiria cunæ.
  Durus in ætatem non cadit ille rigor.
Candida nox natalis ades, tu proſpera mundo
  Lumen inocciduum perpetuumque feres.
Tu quem venturum tot ſecula ſuſpirarunt,
  Digna eris infantem prima videre Deum.
Luminaque in puerum figes ſimul omnia natum,
  Et reprimes curſus ſæpè morata tuos.
Hei mihi! quid ſtricto ferus enſe minatur Orion?
  Aſtraque terribili Virginis igne micant?
Ah puer in quantos mater te præſcia luctus
  Parturit! ut capiti nox micat atra tuo!
Horrida tempeſtas cæli regione ſiniſtra
  Surgit, & armatâ prælia nube tonant.
Flagraque ceu totidem ſonuêre tonitrua cælo,
  Cruxque procelloſis nubibus alta patet.
Vertite iter retrò natalia ſidera, tuque
  Oceano trepidas nox, precor, abde rotas.
Nîl juvat in pueri pœnas properare minacem.
  Lætiùs, aut numquam naſcere, blande puer.
Quid precor imprudens? Quò me rapit error amantẽ?
  Verbaque neſcio quò, votaque ſtulta fero?
Hoc Deus, hoc infans, hoc & mea crimina poſcunt,
  Lectaque curvatis poma ſub arboribus:
Cùm cecidit noſtræ ſtirpis communis origo,
  Cumque viro pariter femina facta nocens:
Noſtra ſubeſt tantis reparanda injuria pœnis.
  Sic medicas ægris afferet ille manus.
Ite dies, horæque citis temonibus actæ,
  Auferat & celeres pronior axis equos.
Sancta veni, noſtroſque leva fœcunda dolores.
  Sollicitant partus crimina noſtra tuos.
Terra parens gaude, Saturni regna redibunt
  Aurea, & innocuo flumina melle fluent.

Bel-

Bellaque cessabunt, totumque effusa per orbem
  Mitia tranquillæ tempora pacis erunt.
Diffugiet furor, & scissis discordia regnis,
  Rixaque turbatis sanguinolenta comis.
Omnia Naturæ renovatis legibus ibunt,
  Parsque suum sceleris nulla tenebit iter.
Succedet cum pace fides, rectique cupido,
  Et comes intactæ candor amicitiæ.
Regna pudor capiet, vetitosque fugabit amores,
  Simplicitas tectos vincet aperta dolos.
Relligioque sacris altaribus addet honores.
  Tot bona roranti nox feret una sinu.
Cedite lucis equi, tenebris formosior ignis
  Surget, & immenso sparget in orbe jubar.
At vos nascenti vigiles applaudite stellæ,
  Temporaque alterno ducite festa choro.
Nec vos manè fuget, solemve reducat Eoum
  Lucifer : in vobis nîl modò juris habet.
Ut tamen Hesperio condatis lumina ponto,
  Accipiet blando Tethyos unda sinu.
Nereïdesque legent gemmas, teretesque lapillos
  Apponent vestris, per cava ligna, rotis.
Hæc vobis, & plura precor natalia mundo
  Sidera : si merear, vos ego sæpè colam.

ELEGIA V.

BEATI JOSEPHI

De Sponsa gravida anceps suspicio.

ANxia res amor est; curis agitantur amantes.
  It comes, & lateri Terror amoris adest.
Suspicioque subit causâ vexata latenti.
  Hanc quoque rumoris quælibet aura movet.
Hinc sublata quies, hinc sunt insomnia nata,
  Hinc macies artus, oraque pallor habet.

Non

Non totidem veniunt, ubi ver aperitur, ariſtæ,
Nec tot populeas percutit aura comas:
Litora nec varios tot habent formoſa lapillos,
Vulnera quot fidus, telaque ſentit amor.
Sponſus in exemplo eſt, quo non ſervantior alter
Fœderis, aut thalamis dignior orbe fuit.
Viderat hic graciles augeſcere Virginis artus.
Nec mora: ſollicitus corda momordit amor.
Non poterat viſi cauſas penetrare tumoris.
(Hactenus arcanum ſponſa premebat opus.)
Ecce jacet, nullamque capit mens ægra quietem,
Et timor in curas pectus amantis agit.
Nunc metuit de lege tori, nunc vana repellit
Crimina, & incertâ pendet utrimque morâ.
Saucia trabs veluti, vel cæſa bipennibus ilex
Nutat, & ex omni parte minatur onus:
Haud aliter nunc hàc animus, nunc territus illàc
Vertitur, ambiguo corde micante metu.
Quid faceret? non hanc ſceleris damnare nefandi
Suſtinet, & læſi credere jura tori.
Securum mores faciunt, probitaſque, fideſque,
Quique ſedet tenero Virginis ore pudor.
Anxius ô quoties, Curæ diſcedite, dixit!
Crede verecundis moribus, illa proba eſt.
Illa memor voti, non auro vendere formam,
Non velit & gemmis India tota tuis.
Sic mihi nota fuit pridem creſcentibus annis.
Sic manet: in ventos improbe cede timor.
Mox tamen indicium zonæ, proliſque futuræ
Lædit, & invito pectore cura ſedet.
Scilicet & caſtos thalami fax urit amantes,
Nec pia ſollicito flamma timore caret.
Cauſa levis ſatis eſt, curis rivalibus ardens
Alter in alterius lumina fixus habet.
Sive aliquis viſurus adeſt, ſermone ſub illo
Plus aliquid, quàm quod cernitur, eſſe putas.

Sive domum repetit ſolitâ vir ſerior horâ,
  Fingitur innocuæ cauſa ſiniſtra moræ.
Ut ſimulare velis, tacitæque recondere menti:
  Ipſa ſolet domino cura tacente loqui.
Cura vel invito ſuſpiria pectore ducit,
  Cura ſupercilio pingit, & ore notas.
Cura regit vultum ſimilemque affectibus offert.
  Proderis: indicio mens patefacta ſuo eſt.
Parce tamen: ſtimulis animum quid inanibus uris?
  Quid juvat arroſis unguibus ire trucem?
Crede mihi, vero pro crimine, criminis umbra eſt.
  Hei mihi! gens nimium ſuſpicioſa ſumus.
Motibus aſſueſcas animum ſubducere primis,
  Nec tibi ſit cauſas quærere velle labor.
Utque mali redeat ſpecies: avertere, & omnes
  Pelle moras: minimo tempore ſoſpes eris.
Quæ tibi non præſens tulerit ſolatia tempus,
  Fœnore cum magno, quæ venit hora, feret.
Utque ſolet madidæ poſt triſtia ſigna Capellæ
  Lætior Eois ſurgere Phœbus aquis:
Gaudia ſic venient fugientibus obvia curis,
  Paxque tibi lætas tundet amica fores.
Pertulerat primos Joſephus turbinis æſtus.
  Mox poſuit vires fracta procella ſuas.
Miſſus ab æthereis regionibus advolat ales,
  Formaque neſcio quid læta ferentis habet.
Certa fides cælo: numquam ſolatia dignis
  Subtrahit, & duro tempore Numen adeſt.
Venerat in mœſti ſecreta cubilia ſponſi,
  (Terror ab inſolito lumine parvus erat.)
Pone metum dixit, neque te divortia tangant;
  Sponſa vacat culpâ: tu modò pone metum.
Edocet & nullo parituram crimine matrem,
  Utque ſit à Superis quod pia geſtat onus.
Finierat: Sponſi pertentant gaudia pectus,
  Et redit exacto grata timore quies.

Tu

Tu quoque qui minimâ conjux percelleris umbrâ,
  Difce fupervacuo corda levare metu.
Utque proba eft, fic effe puta; ne creditus error
  Torqueat, & mifero fit tibi vita gravis.

ELEGIA VI.

IN PUERI JESU

Nativitate.

O Amor! ô vili recubans puer aureus antro!
  Fas mihi neglectæ tecta fubire cafæ:
Divinofque videre oculis mortalibus artus,
  Atque animam tantis perdere deliciis.
Fallor, an afpicio geminos imitata pyropos
  Lumina, quæ molli dulcia fronte micant?
Prô Superi! quantum radiis cæleftibus ardens
  Maternis rubuit vultus in uberibus!
Ubera candorem fuperant lactifque nivifque,
  Et tu Chryfolitho plus minioque rubes.
Non aliter primis nivibus Sidonia certat
  Purpura Nympharum tincta recens manibus.
Ubera perge puer lactantia ducere matris,
  Dum fubeat blando nata fopore quies.
Somniferum interea modulabor arundine carmen:
  Si licet, & pedibus bafia mille feram.
Hei mihi! cur tremulo fufpiria pectore mittit?
  Cur cadit in teretes lucida gutta genas?
Non lacrymæ formam minuunt: decus additur illis,
  Quas tener admotis ftillat Amor facibus.
Ut ferrugineis vivax micat in violis ros,
  Dum fœcunda finum vere recludit humus:
Aut matura velut, fi forfan acuminis ictu
  Læferis, in lacrymas punica mala tument:
Gemmeaque Eois rutilant conchylia guttis,
  Quæ legit in rubris navita litoribus:

Aut

Aut ſic, aut etiam multò formoſiùs illis,
  In guttas roſeæ ſubriguêre genæ.
Felices lacrymæ! veſtro diffunditur imbre
  Quidquid ab aurora nectaris ire ſolet:
Quidquid habent animæ vernarum dulce roſarum,
  Quidquid & Hyblæi mellis Hymettus habet.
O Amor! ô vili recubans puer aureus antro!
  Ut tener æterno vultus amore rubet!
Ut radiant oculi cæleſtes! quos rutilans nox
  Neſciat auratis vincere ſideribus.
Cernite paſtores verumque agnoſcite Numen.
  Non vos forma Dei fallere certa poteſt.
Non vigor humanus, non gratia lucet in ore;
  Omnia cæleſti plena decore micant.
Cernite, nec ſuperos pigeat cognoſcere vultus.
  Ingens nîl illis blandius orbis habet.
Dum finit hoc infans, oculos ſatiate tuendo,
  Et date ſacratis oſcula faſciolis.
Mox venient prono venerari vertice Reges,
  Effuſoque ferent aurea dona ſinu.
Simplicitas puero tamen eſt pretioſior auro.
  Vos date cum puris mitia poma favis.
Addite ſublatum plenis ab ovilibus agnum,
  Ovaque, & in calathis lactea dona ſuis.
Audiſtis? gelidæ ut reſonent vagitibus auræ!
  Non hos triſtis hiems, ſed mala noſtra movent.
Illis reſtituit lapſum vagitibus orbem,
  Et reſerat ſuperas, regna paterna, fores.
Illis vaneſcunt veteris contagia culpæ,
  Tartaraque æterno clauſa adamante rigent.
Diſcite mortales venerari Numen in illo.
  Contemptûs pœnas impia turba dabit.
Nec quia jam puer eſt, pariter credamus inermem.
  Ille puer vires, quas tremat orbis, habet.
Cùm voluit, toto crepuêre tonitrua mundo,
  Claraque de picea fulmina nube cadunt.

Cùm

Cùm voluit, rapidi tenuêre ſilentia venti,
Continuitque truces atra procella minas.
Illius imperio tellus vaſtiſſima ſervit,
Et domita objectis æquora litoribus :
Arſuruſque olim flammis fatalibus orbis,
Cùm veniet ſeclis ultimus ille dies.
Sic vates cecinêre ſacri : qui credere durus
Abnuit, heu ſerò pœnituiſſe volet!
At vos ruricolæ puero bona verba faventes
Dicite, feſtivos & celebrate choros.
Ceſſet opus, latèque vacet vicinia ſimplex.
Aſpectu totos auferat ille dies.
At cum muneribus mentem quoque jungite veſtris.
Hæc illi, demptis omnibus, una placet.
Atque hoc, aut ſimili præſepia cingite verſu :
Et puer hic, Deus eſt : & Deus ille, puer.

ELEGIA VII.

AD MATREM

A partu Virginem.

MAter ades, partûſque mihi miracula tanti
Pande, nec arcani ſupprime ſigna Dei.
Hactenus occultum tua rara modeſtia Numen
Suſtinuit tacito diſſimulare ſinu.
Hactenus ancillam licuit famulamque vocari :
Nunc poſito famulæ nomine, mater ades.
Nec matrem dici pudeat, ſine crimine quando
Virginitas thalamos excubat ante tuos.
Ecce Pudor, teneram cui cinxit purpura frontem
Ante fores cuſtos, tectaque parva ſedet.
Limen & obſervat ne quis temerarius hoſpes
Intret, & aſpectu polluat antra ſuo.
Faſciolaſque parat puero, ſomnoſque volantes
Allicit, & rigidos cogit abeſſe Notos.

Li-

Liliaque, & pleno collectos ubere flores,
  Spargit odoratis undique liminibus.
Sub pedibus pharetram, victique Cupidinis arcum,
  Extinctasque faces, fractaque tela premit.
Ille Paphum profugus, maternaque regna revisit
  Tristis, & incomptis hirta per ora comis.
Blanditiæ comites fugiunt, Risusque loquaces,
  Et Jocus, & castris quidquid Amoris adest.
At pia Simplicitas, placidoque Modestia vultu,
  Callosaque satus sedulitate Labor:
Et Decor, & tenui Paupertas aspera victu
  Incolit, & castris quidquid Amoris obest.
Valles Bethlemiæ, & rigidæ præsepia cunæ,
  Et quæcumque super turba beata volas,
Dicite quis tanto ditarit pignore matrem,
  Quem vocet hic patrem, quem vocet illa virũ.
Dicite (scitis enim) & cupido narrare potestis.
  Nulla (reor) facto causa silenda subest.
Finieram: subitis sonuit concentibus æther:
  Atque aliquis, Partus accipe matris, ait.
Humanis non ille venit complexibus infans.
  Semina principii nobilioris habet.
Quem pater æterna fœcundus imagine natum
  Protulit, intacto corpore Virgo parit.
Et simul æternus, simul est in tempore natus.
  Aspice, naturas res habet una duas.
Nec confusa tamen: proprios habet utraque motus.
  Utraque sed nexu juncta potente coit.
Non nutrix accita tulit solamina matri,
  Non Lucina suas officiosa manus.
Nec solitos partu sensit veniente dolores.
  Hæc alias cælo vindice pœna manet.
Ut sol egreditur de purpurea aurora;
  Illa tamen rediens, quo priùs, ore rubet:
Aut ut vere novo subitum rosa spirat odorem;
  Nec tamen ulla sui damna decoris habet:

Divi-

Divino partu ſic formoſiſſimus infans
  Editus, è caſto venit in antra ſinu.
Utque puer ſolem, auroram ſic integra mater
  Vincit, & intactas, purior ipſa, roſas.
Miratur Natura novos ſine ſemine partus.
  Victor at in niveis it Pudor altus equis.
Dixerat: applauſit ſuperûm chorus omnis, & omnes
  Aligeri nexas implicuêre manus.
Muſa tace, citharamque cavo ſuſpende ſub antro.
  Carmina non tantâ digna parente canes.

ELEGIA VIII.

AD SACRA STRAMINA

Præſepis Domini.

STramina cycneas pretio vincentia plumas,
  Naſcentis thalamo nobilitata Dei!
Vos ſuper incumbit, quem terræ non capit orbis,
  Aulaque quæ geminos ſeparat alta polos.
Qui ſpatio major, naturæ limite claudi
  Neſcit, in exiguo ſtramine totus adeſt.
Vos precor ô! puero molles inſternite cunas
  Stramina, nec tenerum lædite acuta latus.
Anté tamen madidæ Zephyris agitentur ariſtæ,
  Noxius & Phœbi devolet igne vapor.
Et careant vacuæ granorum pondere ſpicæ,
  Excutiat plenas meſſor & antè comas.
Vos quoque proſtantes penitùs ſubſidite nodi.
  Aſperitas puero veſtra nocere poteſt.
Abſit & imbelles radix læſura lacertos,
  Abſit & hirſutis aſpera lappa comis.
Sint immixta leves factura papavera ſomnos,
  Adſit odoriferi copia parva thymi.
Nec violæ molles deſint, nec amabile, flores,
  Veris opus, cytiſus puniceuſque crocus.

Postulat hæc infans paucis tener editus horis,
Dignus inoffenso molle cubare toro.
Ille licet Tyrio decumbere possit in ostro,
Et mediis somnum ducere chrysolithis:
Stramen amat, gaudetque humili requiescere fœno
Pauper, & agresti delituisse casâ.
Nec timet insanis motas Aquilonibus auras,
Pervigil hibernis hei mihi sideribus!
At vos deposito faciles concedite somnos
Stramina, quâque licet parte, levate gelu.
Gratus erit certè, veniat modò grandior ætas,
Et nova cœlesti cœna paranda cibo.
Vaticinor: vestris surget sublimis aristis
Gloria, nec mundo par erit ullus honor.
Stramina quæ Domini tetigistis membra tenelli,
Crescite triticeis luxuriosa comis.
Tempus erit, Cereris quando sub imagine Numen,
Divino supplex orbis honore colet.
Mollibus in granis, niveæ pro flore farinæ,
Qui jacet hîc, infans inveniendus erit.
Spargite semen humo, sulcosque aperite coloni:
Aurea, quæ veniet postmodo, messis erit.
Crescite io! Zephyris & rore madentia puro
Stramina, cœlestes inter habenda dapes.
Nec venti noceant, nec acutâ grandine nimbi,
Germina nec tellus uberiora ferat.
Vos dabitis sacris alimenta perennia mensis,
Solamen nostris mite futura malis.
Deliciæ Regum valeant, epulæque potentûm.
Una ceres totas orbis habebit opes.
Parva mora est, flavæ stillabunt nectare spicæ,
Uvaque mutatis sanguine palmitibus.
Hæc amor, & majora volet. Vos stramina somnos
Interea Domino conciliate meo.

ELEGIA IX.

IN PUERI JESU

Circumcisione.

LUxit amara dies pueri ſignanda cruore.
Hei mihi quàm duræ victima legis erit!
Delius auroram caligine tectus opacâ
Deſerat, & pullis æthera ſcandat equis.
Et circùm nigris volitent in veſtibus horæ,
Lapſaque terribili fulmina nube tonent.
Lumen & in templis flammâ moriente vacillet,
Nec foveat rutilas ſplendor, ut antè, faces.
Luceat imbriferis variata coloribus Iris,
Largus ab effuſis nubibus imber eat.
Terraque concuſſos moveat perterrita montes,
Æquoraque horrendo murmure vaſta ſonent.
Omnia nunc prodant manifeſti ſigna doloris,
Auctorique ſuo triſte parentet opus.
Hoſtia maternis inſons portatur in ulnis.
Aſpice, vulneribus vix habet illa locum.
Ut properat, mœſtis lugent altaria flammis,
Thuraque contracto parciùs orbe volant.
Ecce parat cultrum legis de more ſacerdos,
Ponitur & ſacris pagina priſca notis.
Utque tremens nudum contingit acumine corpus,
Pauca precaturo præcinit ore ſenex.
Dempta, precor, veterem tollant præputia culpam,
Deque meis manibus crimine purus eas.
Accipe Moſaïco ſacrata piacula ritu,
Hæc tibi deletæ teſſera labis erunt.
Hoc pater Iſacidûm diſcrevit fœdere ſtirpem,
Vênit ab antiquis hoc tibi vulnus avis.
Dixerat: exiguamque cutem de parte pudoris
Abſtulit: innocuo terra cruore madet.

Quan-

Quantum animis erroris ineſt! vocat ecce nocentem
Quo nihil immenſus purius orbis habet.
Corrige vota ſenex, & inania verba retracta.
Quid facis? hic nullâ labe piandus adeſt.
Parce, quid innocuum lædis? me tela cruentent,
En ego ſum cultris hoſtia digna tuis.
Ille ego ſum primæ damnatus origine culpæ.
Hæſerunt capiti probra paterna meo.
Ille nihil meruit, niſi ſi meruiſſe putetur,
Crimina quod proprio noſtra cruore luit.
Sancte pater ſpecta; dulcis tibi victima natus
Supplicat, & cælo brachia parva movet.
Perque ſalutiferum, per amabile nomen Ieſus,
(Quod puer à fuſo ſanguine nomen habet.)
Perque recens vulnus, per vulnera mille futura,
Ut tua, quàm fuerit, ſit minor ira, rogat.
Non potes, ut cupias, non indulgere roganti,
Grande patrocinium ſanguis amantis habet.
Ergo age quiſquis eris, ſcelerum quem turpis imago
Terret, & immensâ crimina mole gravant.
Huc ſpes verte tuas, veniam placabile Numen
Spondet, & offenſæ jam meminiſſe nequit.
Impie quid dubitas? pro te quoque dulcia patri,
Irrita non umquam vota futura, facit.
Omnibus una ſalus manat de vulnere, & omnes
Poſtulat heredes ſanguinis eſſe ſui.
At quicumque perit, contemptor muneris hujus
Arguitur vitio velle perire ſuo.
Cur aliquis laqueum tigno ſuſpendit ab alto?
Aut ſua lethiferis corpora merſit aquis?
Noxia vel ſummâ colliſit membra feneſtrâ?
Aut tenuit trepidâ toxica nigra manu?
Certa ſalus ſupereſt. Tu nomen amabile tantùm
Ore refer, Stygias deſpicieſque minas.
Maxima ſit miſeris fiducia nominis hujus,
Poplite ſubmiſſo quod tria regna colunt.

Semper adeſt, faciliſque reis ſperantibus aufert
  Crimina : ne pereas, nolle perire ſat eſt.
Ah utinam medio blandum mihi pectore nomen
  Numquam delendo vulnere ſcribat amor!

ELEGIA X.

AD STELLAM,

Quæ Magis apparuit.

O Quæ cæleſtes inter pulcerrima flammas
  Exoreris, nullis cognita ſideribus!
Aſtrifero qualem numquam conſurgere cælo
  Vidit ab Eois Heſperus altus aquis.
Ipſa tuos ortus miratur candida Luna,
  Nec ſua jam vinci cornua poſſe negat.
Quique ſuo Princeps hebetat Sol lumine mundi
  Sidera, vix notis pallidus ivit equis.
Tu rutilos inter formoſior ætheris ignes
  Conſpicuum roſeo ſpargis ab ore jubar.
Nec ſequeris, ſervant quos cetera ſidera curſus.
  Non tibi plebeiæ ſemita trita viæ.
Horrida nec caudâ præſagis bella minaci,
  Non miſeram cælo virus habente luem.
Quales terribili fulſerunt crine Cometæ,
  Quos pavidi Reges, mœſtaque regna vident.
Pacem vultus habet, radiiſque innoxia puris
  Neſcio quæ populis proſpera ſigna refers.
I bona venturæ prænuntia Stella ſalutis:
  Regibus Eois gaudia quanta feres!
Olim te ſacro cecinerunt carmine vates
  Venturam nati parva ſub antra Dei.
Cùm Deus humanos genitus puer induet artus,
  Lapſaque ſperatæ tempora pacis erunt,
Stella ſub occaſum properabit Solis ab ortu,
  Purpureoque novum proferet axe diem.

Ec-

Ecce tuos patriis ſpectant de montibus ortus,
  Et cantata piis vatibus aſtra notant.
Nec vidiſſe ſat eſt : Reges rata ſigna ſequentes
  Cælo animos, cælo lumina fixa tenent.
Ite pii, quò vos felix rapit ardor amantes,
  Nec ſubitum regni cura moretur iter.
Ite per & montes, per & aſpera rupibus antra:
  Tam longæ merces magna futura viæ.
Nec vos aut Helicen, aut quã Tyrus aſpicit Arcton,
  Parrhaſiaſve decet Pleïadaſve ſequi.
Eſt aliud lumen vobis & certius iſtis.
  Concedent aſtro ſidera priſca novo.
At (moneo) vitate feri ſcelerata Tyranni
  Atria, qui tenero ſanguine tinget humum.
Inſidias vobis, puero fera fata parabit.
  Hei mihi quam multis flebilis ultor erit!
Jam nunc purpureos video decurrere rivos,
  Parvaque de cunis corpora rapta ſuis.
Non feret aſpectus monſtri pia ſtella nefandi,
  Territaque oppoſitâ lumina nube teget.
At poſtquam Solymâ properabitis ire relictâ,
  Priſcaque Jeſſæi rura legetis agri,
Proferet occultos mediis de nubibus ignes,
  Et nitor in tacita nocte diurnus erit.
Inque humiles toto deſcendet lumine valles,
  Quà caſa lucenti ſtramine parva micat.
Hîc Numen confeſſa, citos immota jugales
  Comprimet : hæc pueri ſigna latentis erunt.
Nobile de patriis collectum montibus aurum,
  Et date ſubmiſſo thura Sabæa genu.
Numen adeſt : puer agreſti jacet ecce ſub antro.
  O ! quantum fati canna paluſtris habet!
Aſpiciunt, matremque ſimul natumque ſalutant.
  Plus tamen in nato, quod tueantur, habent.
Majeſtas oculis plus quàm mortalis oberrat,
  Raraque divinum forma fatetur opus.

Nec mora : certatim præſepibus oſcula figunt,
  Oſcula regali digna labore peti.
Dein ſenior ſtabuli miratus pauperis antrum,
  Edidit attonitos ore tremente ſonos:
Felices cannæ ! felicia ſtramina ! felix
  Neglectum Domini pauperis hoſpitium!
Non tibi ſi Pario ſtent marmore mille columnæ,
  Poſtibus & gemmæ cardinibuſque ſonent:
Non tibi ſi varient Indi tabulata lapilli,
  Fulguret & Tyrio lana ſuperba toro:
Eveniant magnæ meliùs præconia famæ.
  Plus tua paupertas, quod colat orbis, habet.
Creta tace ; quid priſca Deos mendacia fingunt?
  Falleris : infantem non tulit Ida Jovem.
Hîc jacet æterni proles non ficta Tonantis,
  Quem mare, quem tellus, aſtraque Styxq; tremunt.
Quæque tribus tria regna dedit decepta vetuſtas
  Fratribus, hic unus poſſidet illa puer.
Dixit, & inclinans regalem vertice toto
  Canitiem, ſacrâ ſceptra reponit humo.
Muneribuſque datis Numen veneratus adorat.
  Hoc ſocii Reges, hoc pia turba facit.
Felices quibus iſta licent ! non purpura vobis
  Ulla poteſt tantum conciliare decus.
Tu quoque quæ tuto duxiſti tramite Reges,
  Æthereas inter ſtella beata faces!
Quà patet, immenſo fies notiſſima cælo,
  Teque, tuoſque ortus ſecula ſera canent.

ELE-

ELEGIA XI.

IN HERODEM

Infanticidam.

IMpie Rex! nemoris latebroſo nate ſub antro,
  Cui lupa villoſis lac tulit uberibus:
Vagituſque feros crudi pulmone juvenci
  Sedavit, laceræ viſceribuſque canis:
Pavit & humanâ puerilia guttura prædâ,
  Unde tibi noſtri ſanguinis orta ſitis.
Tene, Lycaoniæ ſuperantem opprobria ſtirpis,
  Impia Romani ſceptra tenere ferunt?
Tene ferunt ullæ poſt tot tua crimina terræ?
  Nec negat unda tibi, nec negat aura viam?
Debueras ruptæ dudum telluris hiatu
  Nare ſuper Stygios victima fœda lacus,
Et Danai relevare genus, vel crimine victi
  Ultrices Tityi paſcere vivus aves.
Oſſa ſuperpoſitâ ſi quis tua condat arenâ,
  Ejiciet vindex turpe cadaver humus.
Nec te projectum Tethys feret omnibus undis,
  Ne mala Nereïdum corpora præda gravet.
Corpus ad infernas animâ comitante paludes
  Ibit, & antiquis manibus horror eris.
Illìc æternos reus ut toleraveris ignes,
  Pars minor è pœnâ non erit ulla tuâ.
Non humeri tibi Siſyphiâ ſi mole laborent,
  Et cava lapſuros hauriat urna lacus:
Horrendoque fragore ſonans revolubilis orbis
  Torqueat aſſiduâ corpora vincta rotâ:
Flumina vel captes ſemper fugientia ripas,
  Pomaque prenſuras fallere docta manus.
Quæcumque atra tuos incendet pœna dolores,
  Nil ſatis inventum, quo crucieris, erit.

Semper inexhaustæ ſuperabunt debita culpæ,
Noxaque tortores vincet inulta ſuos.
Æace quid ceſſas ? pœnas maturus ad omnes
(Parce fatigatis manibus) unus adeſt.
Quid memorem antiquas nullo ſub vindice cædes,
Raptaque vi, cunis non data ſceptra tuis?
Iſta prior paſſa eſt aliis dominantibus ætas,
Exemplumque, ſcelus quo tuearis, habes.
Crimen inauditum eſt, pueros laniare tenellos,
Fataque natali jungere mœſta ſuo.
Inque ſinu matrum (ne non mala tanta viderent)
Figere per tenerum grandia tela latus.
Et dubium eſt, ſanguis vel lac de vulnere molli
Fluxerit; hoſtiles imbueritque manus.
Non Scytha, non Parthus, nec inhoſpita barbarus (horrens
Antra colens, tantum ſuſtinuêre nefas.
Impie, credibile eſt, quæ te natura ſub auras
Fudit, ad aſpectus erubuiſſe tuos.
Natales certè rorarunt ſanguine ſtellæ,
Viperaque ad cunas ſibila dira dedit.
Tecta ſuper ſonuit ferali carmine bubo,
Nocturnoſque ferunt exululaſſe lupos.
Linaque, queis pueri velavit nuda recentis
Pectora, de buſto mater olente tulit.
Et ſanie & ſpumâ lacrymantem Cerberus albâ
Contigit, & Stygio gurgite merſit anus.
Eumenideſque faces admôrunt : deque colubro
Hæſerunt labris toxica preſſa tuis.
Et Furiæ torto circùm ſonuêre flagello,
Sulphuraque obſcœnis impoſuêre focis.
Et vitæ ſeriem filo contexuit atro,
Criminaque innevit de tribus una ſoror.
Sera rudimentis feritas adolevit ab iſtis,
Perque gradus crevit vita ſceleſta ſuos.
Nam ſimul infanti ſenſim maturuit ætas,
Lapſus & à ſexto proximus annus erat:

Non

Non ratio, non ars, radiiſque ſcientia puris
  Adfuit, & menti lumina prima dedit.
Nec vitæ probitas, nec amor ſucceſſit honeſti,
  Quidquid & æternæ mens bona legis habet.
Invaſit mentem contemptrix ira Deorum,
  Et Venus ante annos prodigioſa ſuos.
Fortunæque comes livor, ſtudiumque nocendi,
  Atraque mens fictis ingenioſa dolis.
Acrior ad cædes violentaque furta juventus
  Explevit partes viribus aucta ſuas.
Lumina volvuntur populos terrentia faſtu,
  Quæque poteſt ſolas forma decere feras.
Hinc ſcelerum torrens longos effuſus in annos
  Materiem turpi præbuit hiſtoriæ.
Hæc alios moveant. Pueros ulturus inermes
  Adſit, & ingenio juſta det arma dolor.
Agmina vos læſæ mecum conjungite matres,
  En cadit in caſſes præda cupita meos.
Omnibus hoc monſtrum calami configere telis
  Convenit: indigno parcere, crimen erit.
Impie Bethlemias fœdaſti ſanguine cunas,
  Antra nec à telis tuta fuêre tuis.
Quodque nefas fugit nutritum felle Procruſtem,
  Quodque Thyeſteæ vix potuêre manus:
Auſus es, ô! (vocem ſceleris mihi præpedit horror,
  Inſolitumque timet lingua referre nefas)
Auſus es uberibus pueros avellere matrum,
  Et tenerum alliſo ſpargere poſte caput:
Lacteaque obnixis divellere membra lacertis,
  Et prenſare cavâ viſcera viva manu:
Imbelleſque vagis jactare volucribus eſcas,
  Et dare montanis membra voranda lupis.
Quæ te non ſubiit, ſubiit clementia tigres.
  Credibile eſt avidas abſtinuiſſe feras.
Iſta tuas tantùm decuerunt fercula lances,
  Poculaque iſta tuam ſanguinolenta ſitim.

Et

Et ne causa malis desit sceleratior ausis,
  Sæviit in puerum tota procella Deum.
Nec te majestas, nec te reverentia cæli
  Movit, & æthereis publica stella minis.
Quid facis? Unius perdes tot millia fato?
  Eheu! nox quantum sanguinis una bibit!
Non scissis potuêre comis te flectere matres,
  Implicitæ pavido pignora cara sinu?
Non ferus ætatem, non molles respicis annos,
  Non movet aspectu candida turba suo?
Non tua vagitus præcordia barbare rumpunt,
  Quasque parens supplex tendit ad astra manus?
Quid queror? ex scopulis, ex duro pectora ferro,
  Nîl prece, nîl lacrymis, quo moveantur, habent.
Instat, & exiles puerorum calcat acervos,
  Et queritur fusum sanguinis esse parum.
Cogitur invitus crebrò dare vulnera miles,
  Et pudor horrendum sæpè remittit opus.
Funera, purpureique fluunt per compita rivi,
  Inque domo cædes angulus omnis habet.
Exanimes passim luctu cecidêre parentes,
  Dîque Lares vultus occuluêre suos.
Ut niveâ verni ceciderunt arbore flores,
  Aspera quos subitâ grandine læsit hiems:
Utque recens canâ periit rosa tacta pruinâ,
  Aut violæ, madidi quas quatit aura Noti:
Sic cecidit primis moriens vagitibus infans.
  Eheu! quas lacrymas mater inulta dedit!
Infelix Solyma, & mœstæ sine vindice matres,
  Paulisper madidas imbre levate genas.
Neu gemite æternùm generis dispendia vestri:
  Credite, sublatos vita perennis habet.
Vallibus Elysiis ludunt, interque vireta
  Ducit inoffensos lactea turba choros.
Mox etiam cæli tractu meliore recepta
  Fulgebit rutilis æmula sideribus.

Tar-

Tartara crudelis descendet in ima Tyrannus.
Fœtaque inextincto sulphure stagna colet.
Quique reis tormenta parat justissima Minos,
Illius in pœnas ingeniosus erit.
Hæc quondam: vivus furiis agitabitur idem,
Perpetuasque feret nox vigilanda minas.
Ante oculos umbræque truces, manesque cruenti
Tendent jactatas ora sub ipsa faces.
Donec fatali rumpens præcordia telo
In loca mors sontem deteriora ferat.
Sistite jam lacrymas. At tu truculente caveto.
Non levis est factis pœna parata tuis.



LIVINI
MEYERI
E' SOCIETATE JESU
ELEGIARUM
LIBER III.

EMINENTISSIMO
AC
REVERENDISSIMO PRINCIPI
S. R. E. CARDINALI
DE ALSATIA DE BOUSSU
ARCHI-EPISCOPO
MECHLINIENSI
BELGII PRIMATI, &c. &c.
NEC NON
ILLUSTRISSIMIS AC REVERENDISSIMIS DD.
PROVINCIÆ MECHLINIENSIS
EPISCOPIS
LIVINUS MEYERUS S. J.
Multos annos, æternam felicitatem.


Rtem Poëticam, Eminentiſſime Princeps, Præſuleſque Illuſtriſſimi, non humanâ induſtriâ inventam, ſed divino munere datam, Judæorum pariter ac Gentilium, ſacrorum ac profanorum vatum communis eſt vox. Et ſacros

ſacros illos quidem antiqui Teſtamenti vates conſtat ſupremi Numinis laudes apud populum Hebræorum, per hymnorum menſuram & numeros, cæleſti quâdam luce perfuſos, non humano ingenio celebraſſe. Hinc ſuccisa illa, planèque mirabilis ſententiarum ſublimitas, verborumque majeſtas; quæ humano ſpiritu altior, Deum clamat auctorem. Profani verò Gentileſque Poëtæ, tam Græci quàm Latini, cum verum Deum, vel utcumque cognitum non colerent, vel vitio ſuo excæcati ignorarent; tamen Parnaſſum finxerunt ſuper nubium procellas erectum, in cujus vertice Muſarum moderatorem ac præſidem Apollinem, hoc eſt, Solem collocarunt; ut ex illo, qui eſt fons luminis & caloris, hauſiſſe ſe teſtarentur, quidquid in metro conſonum, in cogitationibus vivum, in elocutione ſublime & ſplendidum appareret. Adeo Poëtica omnibus ſemper viſa eſt habere aliquid divinitatis. Quid, quod hâc arte geſta heroica, ipſæque Regum fortunæ, prælia, victoriæ, triumphi, oblivionis eripiantur injuriæ, & quâdam immortalitatis luce donentur?

Cum

Cum autem Poëtarum ardor ſplendore rerum accendi maximè & efferveſcere ſoleat; neſcio an umquam materia tam copioſa, tamque ſublimis oblata vatibus fuerit, atque eſt illa, quæ in Te præſertim, Eminentiſſime Princeps, & in Suffraganeis tuis Epiſcopis omni ex parte relucet. Non enim major à purpura in Vos, quàm à Vobis in purpuram ſplendor redundat. Vos eſtis ſub uno in terris Capite Romano Pontifice, Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ſupremi Ordinis Sacerdotes, Paſtores gregis Dominici, luporum debellatores, cuſtodes fidei, morum doctores, tutores pauperum, Succeſſores Apoſtolorum. Vos eſtis Conciliorum generalium (quorum auctoritas non ſolùm loci, verùm etiam ſententiarum inter diſſitos unitate penſanda eſt) Spiritûs Sancti organa, Petri convocantis & confirmantis auctoritate animata. Vos eſtis columnæ Eccleſiæ, fundatæ ſuper Petram illam immobilem, ad quam omnis hactenus Schiſmatis & Hæreſeos procella alliſa detumuit.

Præclariſſimi hi honoris, dignitatis,

ac poteſtatis tituli, quamvis omnibus Romano Capiti conjunctis Epiſcopis in commune conveniant: in Vobis tamen, his periculoſis temporibus, peculiari de Eccleſia militante meritorum gloriâ, ſublimiori faſtigio emicant. Habet quidem Eccleſia Gallicana Eminentiſſimos Cardinales, Archiepiſcopos, omneſque ferè regni iſtius Epiſcopos, ſtrenuiſſimos hodie fidei defenſores; ſed & habet Gallia poëtas, qui ſuorum geſta Præſulum fertiliori venâ conſecrent æternitati. Propoſito meo ſatis eſt, ſi meorum, qui Belga ſum, Epiſcoporum celebrem utcumque memoriam. Nam ſi exterorum mihi quoque relatæ de refractariis palmæ forent commemorandæ, Clementis præſertim Colonienſis & Leodienſis, nec non Trevirenſis Eccleſiæ, Antiſtitum geſta præclariſſima facerent, ut hoc tenue opuſculum in volumen excreſceret. Cum ergo, præter hos, ceteri ferè per orbem Epiſcopi altâ & ſecurâ fidei & obedientiæ inter ſuos pace gaudentes, extra luctæ arenam ſint poſiti: Vos, Eccleſiæ Belgicæ Antiſtites, glorioſa adverſùs

versùs rebelles Pontifici & Ecclesiæ (filios dicam, an hostes?) exercent certamina. Illi portûs tranquillitate fruuntur : Vos tempestate jactamini. Illi ad sarcinas sedent : Vos dimicatis. Illi victoribus gratulantur : Vos reportatis victoriam. Vestra etenim per pericula magnanimitas; per labores fortitudo; per contagia, quæ à commisso Vobis grege depellitis, vigilantia ; per schismata, quorum progressum impeditis, charitas ; per hæreses, quas extinguitis, fides ; per morum denique corruptelam , quam verbo & exemplo tollitis , ardor pectoris vestri Apostolicus , semperque indefessus apparet. Habuit quidem quovis tempore Belgium hoc nostrum Antistites præstantissimos, Creusios, Malderos, Torrentios, Cunêros, Strienos, Lindanos, Rithovios, Humbertos, aliosque eruditionis & virtutis famâ conspicuos : sed (absit veritati invidia) numquam habuit, qui majori inter se charitate conjuncti, ferventiori doctrinæ catholicæ defendendæ ardore succensi, arctiori cum Apostolica Sede religionis vinculo fuerint colligati.

P Te

Te præſertim, Eminentiſſime Princeps, qui inter ceteros Cardinalitiâ & Archiepiſcopali emines dignitate, non tantum Belgium hoc noſtrum, ſed Roma, ſed Vienna, Pontifex & Imperator, velut avitæ fidei & religionis columen & ſuſpicit, & paterno affectu complectitur. Indoli tuæ innata cum gravitate comitas, morum vitæque per omnes virtutis gradus integritas, profunditas doctrinæ theologicæ, qua Doctoralem pridem lauream meruiſti atque adeptus es, Apoſtolicam pariter & Imperatoriam aulam in admirationem, laudem & approbationem rapuit. Hujus luce & ſoliditate doctrinæ omnes refractariorum cavillos confutaſti, fallacias detexiſti, ſchiſmaticæ & hæreticæ doctrinæ, jam mundi manu damnatæ, venenum voce & ſtylo diſſipaſti, mendaces criminationes refelliſti. Quis Te in concipiendis rebus acutior, prudentior in dirigendis, in exequendis conſtantior? Curæ tuæ, etiam cum detrimento valetudinis indefeſſæ, fructus, quem boni omnes ardenter expectarunt, optatiſſimus reſpondet, perfecta Sacer-

dotium

dotium inter & Imperium harmonia atque concordia : ſine qua nec dyſcoli corrigi, nec errantes reduci, nec rebelles comprimi, nec morum & fidei integritas illibata ſervari poteſt. Quid vicinæ nobis Galliæ, tanto tempore, tantâ quorumdam pertinaciâ turbatæ atque vexatæ, ſpem tandem duraturæ pacis & publicæ tranquillitatis reſtituit ? Nihil profectò aliud, niſi Romani Pontificis, ipſique adhærentium Epiſcoporum, regali brachio & decreto defenſa & ſuſtentata auctoritas. Quod toti Galliæ Rex Chriſtianiſſimus, hoc Belgio totique Imperio, ſuadente Te atque movente, præſtat religioſiſſimus Imperator noſter Carolus.

Hæc tua præclariſſima, Eminentiſſime Princeps, nec non Suffraganeorum tuorum, quorum tam glorioſè cauſam egiſti, merita attentè conſiderans, exarſi, fateor, ut ea poëtico quodam opuſculo exponerem, & poſterorum utcumque memoriæ commendarem. Et quamvis non ignorem, pondus hoc ingens, quod Maronem requireret, vires meas per ſe tenues, & ætatis incommodis fractas, im-

mensa gravitate excedere, censui tamen satius esse tentare aliquid, quàm tacere; cum minùs noceat impolita narratio, quàm mutum de summis rebus silentium. Atque illud præterea in Musas meas commodum redundabit, ut, quæ per se languidæ sunt & obscuræ, ab ipsa, quam tractant, materia vigorem splendoremque accipiant. Denique benignitas vestra atque humanitas, quâ affectum magis quàm oblatæ rei pretium ponderatis, faciet, ut hoc dedicatum Nomini vestro opusculum, in debitæ erga Vos meæ observantiæ & venerationis testimonium benevolè suscipiatis; gratum utique probatumque futurum lectoribus ceteris, si id Vobis non displicuisse constiterit. Meum postremò & Belgii totius votum commune adjicio, ut ad defensionem Ecclesiæ suæ, ad ovium Vobis commissarum salutem, ad schismatis & hæreseos extirpationem, & ad meritorum & gloriæ vestræ incrementum, Deus Vos diu sospitet, atque conservet.

ELE-

ELEGIA PROOEMIALIS

Ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum

INNOCENTIUM XIII.

COMMUNIBUS OMNIUM SUFFRAGIIS ELECTUM

SUMMUM PONTIFICEM.

MUſa triumphales Pindi de vertice lauros
Collige, & ornatas indue flore comas.
Quæque humili latitare ſoles Heliconis in umbra,
Ardua nunc montis, Diva, cacumen adi:
Et cane quod primus, quodque ultimus audiat orbis,
Nullaque ſit vocis neſcia terra tuæ.
Et quaſcumque ſuis illuſtrat curribus oras
Cynthius, huc volucres fama ſequatur equos.
Nuntia venerunt Latio gratiſſima : qualem
Anxia Pontificem terra petivit, habet.
Muſa Virum, quo non meritis ſublimior alter,
Et cithara & cantu tollere in aſtra decet.
Omnia ſi revoces heroum tempora ; numquam
Carmine materies dignior ulla fuit.
Fortè rogas ſeriem geſtarum & pondera rerum?
Accipe quæ memori ſingula mente notes.
Pauca quidem referam (quis enim quot ſidera cælum
Dicat, vel quot aves frondibus Ida tegat?)
Ille Patrum votis (neque calculus abfuit unus)
Par humeris, quamvis grande, ſubivit onus.
An potuit cæli manifeſtius eſſe probantis
Indicium ? Superûm vertitur urna manu.
Corda movet Numen : nihil huc caſuſve favorve
Contulit : hoc dextræ eſt cuncta regentis opus.
Ille (nec hoc mirum) Gallis & gratus Iberis
Obtigit, & votis Carole Sexte tuis.

Nota viri facit hoc prudentia, quemque paterno
Omnibus æqualem pectore ſpondet, amor.
Hoc facit & virtus, & noſtro rarus in ævo
Candor, ab antiquis quem trahit ortus avis;
Ingeniique vigor, rebuſque ſcientia geſtis
Inclyta, cui norunt ſecula rara parem.
Quique animi dotes longè ſuper eminet omnes,
Tutandæ facit hoc relligionis amor.
Hoc decus (Italiæ proprium) quàm Tartarus ipſe
Auferat, ante polo ſidera lapſa cadent.
Nequidquam ſibi Pontificis nova Secta favorem
Spondet : ab hoc vulnus ſentiet illa novum.
Pontificum memor ille tuebitur acta priorum.
Roma ſuis hoſtis legibus eſſe nequit.
Damnatos toties victoria proteret hoſtes,
Ibit & ad Batavos perfida turba lacus.
Illic omne ſuum, quo turget, rupta venenum
Fundet, & errantis pars erit una gregis.
Ecce novum ſenſit jam vulnus Epiſtola : ſeptem
Horruit audaces * Romaque, Rexque manus.
Schiſmatis hanc nigro damnavit felle madentem
Auſoniâ qui nunc culmen in arce tenet.
Neve (tenax moris) Romam contemnat; in illam
Regalis ſtricto ſæviit enſe manus.
Galliaque effrenos paucorum exoſa tumultus,
Pontifici, juncto fulmine, ſpondet opem.
Fulmen habent aquilæ, Jovis Imperiique miniſtræ,
Illæ etiam roſtro, pectore, & ungue valent.
Carolus his Cæſar Romanam proteget arcem.
Vindice ſic gemino eſt tuta futura fides.

Hactenus

* *Non ſine gravi animi horrore delatæ ſunt in manus noſtras Gallicanorum quorumdam Epiſcoporum Schiſmaticæ prorſus litteræ, in felle amaritudinis, ſubſcriptis etiam Auctorum nominibus, exaratæ; in quibus Anteceſſoris Noſtri Fama & Memoria ſempiternis laudibus digna, proſcinditur; Apoſtolica Conſtitutio calumnioſè traducitur, utraque Poteſtas impudenter contemnitur, atque hæretico Spiritu Divina omnia & humana miſcentur.* Innocentius XIII. Brevi ad Ludovicum XV. dato 1722. die 24. Martii.

Hactenus Imperii defenſa potentibus armis
Relligio quovis fortior hoſte ſtetit.
Sancte Pater, ſtabili junges tibi fœdere Reges.
Ille ſacri fructus primus honoris erit.
Jure igitur tanto tellus Paſtore ſuperbit,
Signaque lætitiæ dat manifeſta ſuæ.
Jure ſuis columen Reges accedere regnis
Gaudent : nec falſæ ſpe capiuntur opis.
Præcipuè tu, Roma, tuo grataris alumno,
Unde trahit priſcâ nobilitate genus.
Namque decem ſeptemq; domus per ſecula, clarum
Orta Ducum pridem ſanguine nomen habet.
Purpureoſque Patres centum dedit : ima nepotum
A ſummis ſeries ſi numeretur avis.
Sanguine quin etiam Chriſti pro nomine fuſo,
Sæviit in ſacrum Barbara ſica genus.
Euſtachiumque pius decorat cruor : illius aras
Martyribus digno mundus honore colit.
Adde quod (antiquæ quæ ſumma eſt gloria gentis)
Tres numeret ſtirps hæc Pontificeſque decem.
In quibus eſt, cui rara dedit ſapientia Magni
Nomen : & hunc titulum Græcia tota probat.
Illa viri famam ſolita eſt celebrare quotannis,
Et ſequitur ritum, terra Latina, tuum.
Gregoriumque colit gemino plaga ſubdita Soli,
Qui rutilâ noſtras audit ab arce preces.
Quantus honor generi! cujus notiſſima tantum
Arguitur pietas promeruiſſe decus.
Nîl igitur mirum, ſi ſanguine cretus ab illo
Per ſanctæ titulos hic quoque gentis eat.
Scilicet à proavûm quæ ſurgit origine virtus,
Radicem ſimilis poſteritatis habet.
Aſpice, ſeminibus quam vim natura Deuſque
Indidit, in plantis arboribuſque manet.
Perpetuam generis conſervant omnia formam,
Nec variant, longâ degenerantque die.

Non fragilis corylus cedri de ſemine ſurgit,
Non viret æſculeâ laurus odora comâ.
Nec ſibi diſſimiles pariunt animalia fœtus.
Virtutem propriæ ſingula ſtirpis habent.
Hac generant aquilas aquilæ, lea fœta leones,
Hac patriæ ſimili piſce natantur aquæ.
Naſcitur hac ab equo generoſus præpete pullus,
Jamque tener palmæ tentat amore rapi.
Vix ſtat, & impatiens ſummas pede turbat arenas,
Areaque hinnitu pulverulenta ſonat.
Vis eadem eſt animis: animorum ſemina mores.
Rarò diſſimiles; natus hic, ille pater.
Sive quod in ſobolem probitas cum ſanguine tranſit,
Et mens temperiem corporis ipſa trahit:
Sive quod exemplum, præclaraque facta parentum
Ad ſimiles niſus non leve calcar habent.
Sancte Pater, mundique caput, tibi ſplendor avitus
Jam pridem ſummi ſtravit honoris iter.
Trita patrum firmo ſequeris veſtigia paſſu,
Parſque ſit ut generis nulla caduca, caves.
Utque in te virtus, pietaſque redundat avorum,
Sic ad avos à te mutua fama redit.
Inclyta portendunt dudum hoc inſignia; quorum
Sæpiùs augurio ſcire futura licet.
Namque locum ſcuti medium regina volûcrum
Quæ tenet, hæc vera eſt mentis imago tuæ.
Nubila tranſcendunt aquilæ ſuprema, tenentque
Solis in oppoſitum lumina fixa jubar.
Parva mora eſt; veniat nidis implumibus ætas,
Et vigor in teneros ille paternus eat:
Mox etiam pullos, imâ regione relictâ,
Æmula per liquidum penna levabit iter.
Fixa nec ardeſcens hebetabit lumina Phœbus,
Ille licet pulsâ nube ſerenus eat.
Mens aquilæ ſimilis: mentis præconia ſcutum
Exprimit, ardores aſſimilatque tuos.

Quippe

Quippe pari ſequeris niſu quo fama tuorum
    Se levat, & ſpreta ſidera tangis humo.
Neve tuam vincat majorum gloria, Sedem
    Terrarum primam, quam tenuêre, tenes.
Unde vagum ſpectans ſeptem de montibus orbem,
    Cuncta vides humeris inferiora tuis.
Nam neque par cuiquam cælo conceſſa poteſtas,
    Alter & huic quivis cedere debet honor.
Gloria magna quidem eſt, ingenſq; potentia Regum,
    At tua plus ſceptro mitra decoris habet.
Terrenum Rex imperium, perituraque regna
    Poſſidet: æternum eſt quod tua dextra regit.
Ille habet à proavis; tu Chriſto à Principe regnum.
    Nec ſors, ambiguum eſt, hæc ſit, an illa prior.
Hunc populi proceresſque colunt: tibi ſubditur ipſe,
    Oſcula nec pedibus regia ferre negat.
Illius eſt certo finitum limite regnum:
    At tibi ſubjectum eſt ſolis utrumque latus.
Terrendo premit hic hoſtes: tu vincis amando.
    Palma illi dubia eſt, quæ tibi certa venit.
Cumque hic præſentis ſpectet bona publica vitæ,
    Exitus eſt curæ vita futura tuæ.
Denique (quo titulo non eſt tibi carior alter)
    Hunc populus Regem; te vocat ille Patrem.
Nomine quo nec habet tellus, nec regia cæli
    Dulcius: hoc homines, hoc ſuperoſque trahit.
Summe parens rerum, tuque ô qui morte redemptas
    Nunc etiam proprio ſanguine paſcis oves,
Quique gubernator præſenti Numine navem,
    Fortunam mundi quæ vehit una, regis;
Fac precor, in vaſto ſub te qui gurgite clavum
    Dirigit, ad portum te duce tutus eat.
Promiſſiſque tuis, ſcopulis licet undique ſeptum,
    Nulla procelloſo turbine vincat hiems.
Utque mare & venti, ne Petri cymba periret,
    Imperio fluctus compoſuêre tuo;

Sic

Sic ratis hæc ingens, cymbâque capacior illâ,
Aſpera ſecurum per freta currat iter.
Felices quos ſacra vehit per turbida pinus
Æquora! naufragii pars caret illa metu.
At quoſcumque ſinu non accipit illa, peribunt,
Laſſaque merſuris colla prementur aquis.
O utinam qui nunc ventis jactantur & undis,
Complexi fragilis naufraga membra ratis,
Fortia Romanæ redeant ad texta carinæ,
Victores pelagi, cum pelagoque ſui.
O cæcas hominum mentes! quo gurgite remos
Ducitis, hoc periit quæque carina vado.
Credite, quo nunc vela datis, mare portubus orbũ eſt,
Anchoraque inſtabilem non tenet ulla ratem.
Et tamen eſt aliquis, Chriſti qui corpore ſectus
Damnati membrum verticis eſſe cupit?
Si revocare libet ſeclorum exacta priorum
Tempora; quot Sectæ, ſi numerentur, erant?
Errorum periêre duces: quorum impia reſtant
Nomina, nunc odio pectora noſtra movent.
Quis non Neſtorium? quis non horreſcit Arium?
Maxima quos olim turba ſecuta fuit.
Tempore detegitur latitans ſub imagine veri
Error: nulla diu fallere larva poteſt.
Quæ male fundata eſt, valido domus icta recumbit
Turbine: ſors eadem ſchiſmatis eſſe ſolet.
Exemplo veterum, ſimili nova Secta ruinâ
Concidet, atque horror poſteritatis erit.
Durabit tua, Roma, fides, dum ſecula finem
Accipient: premere hanc nulla ruina poteſt.
Hanc non Tartareæ poterunt ſubvertere portæ:
Vox Domini eſt: Domini vox rata ſemper erit.

ELEGIA II.

Ad Eminentiſſimum ac Reverendiſſimum Dominum, D. THomam Philippum de Alsatia, de Bouſſu S. R. E. Cardinalem, Archiepiſcopum Mechlinienſem, Belgii Primatem, Auguſtiſſimo Cæſari à Conſiliis intimum, &c. &c.

Cum Romam è Belgio ad eligendum Pontificem, proficiſceretur.

ERgo iterum Romam properas? nec terret euntē
Aſperitas tantæ bis tibi trita viæ?
Hei mihi, ſecurâ patriæ ſtatione relictâ,
Impendent capiti quanta pericla tuo!
Nam ſi vel tellure paras, vel currere ponto:
Multa tibi terræ, multa minantur aquæ.
Durum iter, aërias anguſtis faucibus alpes
Scandere, quo pavidis vix licet ire feris.
Unde per abruptum tendunt in Tartara valles,
Imaque torrentis vortice ſaxa ſonant.
Illic ex ſtrepitu credas Ixiona plecti,
Nexaque ſtridentem volvere membra rotam.
Quid, cum vere nives liquefactis montibus Auſter
Solvit, & extemplo rura propinqua natant?
Sæpe viatorem vis turbida gurgitis aufert,
Per ſata cum ſubitis volvitur amnis aquis.
Vicino fluit ille mari nova piſcibus eſca,
Et miſerum tumuli funus honore caret.
Aut ſi terra placet minùs, & juvat ire per altum,
Atque Italos portus per freta longa ſequi;
Non leviora feret tellure pericula pontus.
Semper habent dubiam ventus & unda fidem.
Non mare Tyrrhenum tutâ rate finditur, in quo
Barbara plus ſcopulis vela timoris habent.

Ut-

Utque nihil noceant ferientes vela procellæ,
Adjuvet & curſus utilis aura tuos,
Tuniacæ celeres remo ventoque carinæ
Ad prædas avidæ nocte dieque volant.
Si qua procul terrâ deſerto litore puppis
Fertur, in hoſtiles incidit illa rates.
Ac velut accipiter timidam per inane columbam
Urget, & ungue ferox, qua fugit illa, premit:
Haud aliter tenſis velorum fervidus alis
Imminet, & captos per freta raptor agit.
Africaque immiti venientes carcere claudit,
Dum nova ſub domini jura ferocis eant.
Nam velut hic tauros pretio mercatur arator,
Corpora ſic illic vendere noſtra ſolent.
Quocumque aſpicias, timor eſt terrâque, marique:
Nec mare, nec tutam dat tibi terra viam.
Quid tibi cum pelago? quid hiantes rupibus alpes
Scandere, & infidum carpere cogit iter?
Si te nulla tui, moveat te cura tuorum,
Mœrentem Paſtor reſpiciaſque gregem.
Te properante timent orbi, quos deſeris, agni
Infeſtent avidi ne tua ſepta lupi.
Non tua balatus teneri præcordia tangunt?
Quo vetus oblito corde receſſit amor?
Te coram timor omnis abeſt: præſepia tuti
Linquunt, & latè paſcua læta tenent.
Quid queror ah demens? nec enim tutela, fideſque,
Deque tuo patrius pectore ceſſit amor.
At pia cauſa jubet diſcedere, teque relictas
Tutorum curæ credere cogit oves.
Et bene proviſum eſt: valido præſepia vallo,
Grexque tuus triplici vindice tutus erit.
Illis pectus ineſt, geminique peritia juris,
Curaque quam fures, quam timeantque lupi.
Pabula lethali ſi quis miſcere cicutâ
Audeat, à ſtabulis ille repulſus erit.

Ab-

Abſens hos illis animos dabis, atque ſuperſtes
Ille tuus vindex in tribus ardor erit.
I Pater, i ſoſpes : ſalvum te conſcius æther
Ardua cæleſti per juga ducet ope.
Vaticinor : nîl ſaxa tibi prærupta nocebunt.
Cauſa viæ felix ſcilicet omen habet.
Oppida te ſtudium nec enim peregrina videndi
Impulit : hæc ſacro pectore cura minor.
Et quidquid Latium, quidquid Germania dignum
Galliaque, aſpectus quo teneatur, habet ;
Olim viſa tibi, luſtrataque cuncta fuerunt,
Cum rerum nulla mole gravatus eras.
Non adeo levis ex humeris modo ſarcina pendet,
Ut tibi ſpectandi nota recurrat amor.
Ire cupit Cæſar : ſatis eſt tibi ſacra voluntas
Principis, ut promptus quolibet ire pares.
Juſta tamen Carolum ratio permovit, & inter
Imperii curas non levis una fuit,
Dignus ut Auſoniæ Sedi ſuccederet heres,
Qui ſacer Albani morte vacabat honor.
Nam velut ipſe tenet terræ moderator habenas,
Cæſare nec quidquam grandius orbis habet;
Sic gaudet, triplicem capiet qui fronte tiaram,
In ſacris ſummum rebus habere locum.
Et ſanctas animis cupit hunc præſcribere leges,
Quas pius exemplo pondus habere facit.
Quaſque cupit Belgas pariter ſervare : rebellis
Ut tibi, ſic Romæ, nullus inultus erit.
Quippe fides ſceptrique decor ſervatur, amicam
Cum ſibi dant Reges Pontificeſque manum.
Fœdere quo rupto nutat pars utraque; cujus
A ſtabili pendet mutua pace ſalus.
Jure igitur tantis ſit par ut honoribus optat,
Æqualique gregem Paſtor amore regat;
Utque Dei cultum vindex moderetur & aras,
Paſcuaque errantes ad ſua ducat oves.

Nam

Nam Deus huic morum arbitrium fideiq; ſupremũ
Contulit. Imperii Rex tueatur opes.
Hunc penes eſt regni & legum tutela ſuarum,
Quâ ſibi ſubjectos pace, vel enſe tegit.
Hujus opus, ſtricto compeſcere Schiſmata ferro,
Non alio referet majus ab hoſte decus.
Hæc igitur cauſa eſt, tua cur ſuffragia Cæſar
Poſtulet, & Latium carpere cogat iter.
Di tibi ſint comites! & erunt, ſi numina noſtras
Mitia reſpiciant, accipiantque preces.
Ergo ubi purpureos inter numerabere Patres,
Atque electuri pars eris una chori,
Cæſaris ut faveat tua fac ſententia votis,
Dignus ut accipiat quod vacat orbis onus.
Affectuſque nihil, privataque gratia proſit:
Sic fuerit juſſæ cauſa peracta viæ.
Sic totus Paſtore novo lætabitur orbis,
Electo nec quem præferat, alter erit.
Grata erit Auſtriacæ tua ſic prudentia menti,
Quæ tua jam pridem facta probare ſolet.
Denique (ſollicitis quæ ſpes eſt maxima Belgis)
Sic citò te reducem noſtra videbit humus.

ELEGIA III.

Ad eumdem Eminentiſſimum,

Poſtquam Romam incolumis, ſecus quam falſus quorumdam in Belgio rumor vulgaverat, perveniſſet.

CÆlitibus meritos Belgæ referamus honores,
Solemnes hæc eſt inter habenda dies.
Flava Sacerdotes plenis date thura caniſtris,
Sparſaque diſſimili flore niteſcat humus.
Nube vacet cælum: ſparſurus candida Titan
Lumina, rorantes æquore tollat equos.

Vos

Vos quoque discordes mala tollite jurgia: clausas
    Litibus opponat curia surda fores.
Luce sacra solis fas sit cantare poëtis.
    Nunc nitidas lauro cinge, Thalia, comas.
Alsatius Latias sospes penetravit ad oras,
    Asperitas longæ nîl nocuitque viæ.
Nuntiat hoc Româ quæ vênit epistola : quâ non
    Indicium nobis certius esse potest.
Audivêre preces mitissima numina nostras,
    Votaque successu non caruêre suo.
Credibile est ipsos stravisse cacumina montes,
    Et faciles, clivo non remorante, vias.
Nullaque nix lapsa est, nec iniquo vortice torrens
    Obfuit : arentem præbuit ille sinum.
Italides Nymphæ tibi ripas flore coronent,
    Nectare pro liquidis rivus abundet aquis.
Hæc & plura precor tibi mansuetissime torrens.
    Trux aliis: domino semper amicus eas.
Alsatius per te Tyberina palatia tutus
    Attigit : incolumem terra petita tenet.
Roma videt, gaudetque olim quem fovit alumnum
    Purpureos inter nomen habere Patres,
Et sua cum sancto suffragia jungere cœtu:
    Quæ pia suscepti causa laboris erat.
At mala multa, precor, veniant tibi pessime rumor,
    Turbasti vano qui mea corda metu.
Crediderim missum nigris Acherontis ab undis
    Fallere mendaci nos voluisse dolo.
Invidiamque suo linguam tetigisse veneno
    Suspicor : optatis pascitur illa malis.
Illa solet spectare oculis bona nostra malignis,
    Illa tibi fraudis prompta ministra fuit.
Improbe finxisti, versi sub pondere currûs
    Alsatium longâ procubuisse morâ;
Exanimique diu similem jacuisse, nec ulla
    Pallentem vitæ signa dedisse suæ;

Saxa-

Saxaque nutanti reptaſſe per aſpera greſſu,
 Sanguine turbatas & riguiſſe comas.
Anxia res amor eſt : ſubitò trepidamus amantes,
 Vanaque, quæ miſeros terreat, umbra ſat eſt.
Certè ego cum fueram famâ percuſſus inani,
 Frigore perſenſi membra tremente quati.
Utque idem tetigit Belgarum pectora rumor,
 Omnibus in vultu ſigna doloris erant.
Protinus ante ſacras Divorum volvimur aras,
 Votaque, te ſalvo, noſtra fuêre mori.
Quiſque tibi propriæ tranſcribere tempora vitæ,
 Quiſque ſua voluit te ſupereſſe nece.
Quid ſumus (ô miſeri!) niſi pondus inutile terræ?
 Morte nihil noſtrâ, cur fleat ullus, erit.
Indecores nos urna teget : tibi grande merenti
 Nomen ab exequiis poſtera fama dabit.
Dî modò dent annos, ſpaciumque laboribus amplum,
 Et veniat tardo cana ſenecta gradu.
Funere ſi Belgis mors te rapuiſſet amara,
 Omnis ſpes tecum noſtra ſepulta foret.
Hoc eſt cur ſubitus trepidos turbaverit index:
 Ex magno vires ſumit amore timor.
At vanus poſtquam nobis eſt cognitus error,
 Gaudia ſublato ſunt geminata metu.
Nec mora, lætitiæ teſtis ſuper æthera clamor
 Tollitur, atque hilari compita voce ſonant.
Publica in auctores falſi convertitur ira,
 Devovet hos meritis femina virque malis.
Ergo aliquis famâ felix fuit error in illa;
 Hæc facit ut pateat, qui latuiſſet, amor.
Scilicet affectus taciti produntur acerbis
 Caſibus, atque animos ipſa pericla probant.
Quod tua, Niſe, fides longo memoretur in ævo,
 Euryalus Rutulo captus ab hoſte facit.
Victima Dianæ ſi non traheretur Oreſtes,
 Teſtatus Pyladis non ſatis eſſet amor.

Nec

Nec vivum noſſet Rhadamanthus Theſea, ſi non
Pirithous Stygias primus adiſſet aquas.
Effice ne reducem vexet Neptunus Ulyſſem,
Penelopeque nihil, cur referatur, erit.
Nunc poſtquam patuit per dura pericula virtus,
Æternum memori nomen ab orbe ferunt.
O decus Alſacidum! quo ſoſpite Belgica tellus
Alterius nullam tuta requirit opem:
Vindice quo ſine labe fides Romana vigebit,
Caſtaque ſacrilegas reſpuet ara manus:
Non minùs eſt pietas in te laudanda tuorum,
Quam fuit antiqui temporis illa fides.
Aſpera ſors, certò ſed cognita, terruit illos:
Nos levis, & dubii perculit umbra mali.
Pro ſociis voluêre mori: nos perdere vitam,
Si liceat, pro te, ducimus eſſe nihil.
Junxerat hos tantùm fraterni fœdus amoris:
Tu veri titulum jure parentis habes.
Fama vetus cedat, taceant præconia vatum:
Par aliquid priſcis tempora noſtra ferunt.
Pectora natorum natura potentiùs urit,
Alter & eſt illo quilibet igne minor.
O tantum incolumem nobis te Roma reſervet,
Urbſque reverſuro tacta ſit illa pede.
Et tibi ne noceat Latii vis ſicca caloris,
Frigidaque ardentem temperet aura diem.
Donec & Italiæ regione moraberis, omni
Corporis atque animi parte dolore vaces.
Addimus & votis ſolenne prioribus unum,
Pars ſit ut incepti nulla caduca tui.
Dumque ſuum capient Romana negotia finem,
Dent reduci tutam ſidera prona viam.

ELEGIA IV.

Ad eumdem Eminentiſſimum,

Cui à Romano & Viennenſi itinere felicem & glorioſum in Belgium reditum Muſa gratulatur.

BElgiacas tandem remeaſti ſoſpes ad oras,
Grataque finiti meta laboris adeſt.
Quis curas, curiſque datos numerabit honores,
Et quæ Cæſarei ſigna favoris habes?
Non ſi centenis reſonet vox ferrea linguis,
Oraque ſint totidem multiplicata mihi,
Omnia complectar tua quæ præconia virtus
Poſtulat: infirmum fulgor onuſque gravant.
Dignus es ut redeant priſcorum tempora vatum,
Qui tua victuro carmine geſta canant.
Nunc paucis doctæ pandunt Helicona ſorores,
Pegaſus & parcas fundit avarus aquas.
Ille vigor veterum noſtro moriturus in ævo,
Indicium mundi deficientis habet.
Et mihi jam raris albeſcunt tempora canis,
Meta procul vitæ nec fugientis abeſt.
Quid volui ſenio demens imponere tantum
Ponderis? hoc juvenum pectora poſcit onus.
Sæpe rudi cithara magni tenuantur honores,
Muſaque materiâ debilitante jacet.
Sed tamen ut cæſo placantur numina tauro,
Victima, ſic gaudent, ſi minor agna cadat.
Hoc facit, ut (quamvis meritorum fama tuorum
Terreat, Icariæ me moneatque viæ)
Ferre tamen timidos tentem ſuper ardua greſſus
Culmina: terrorem qui facis, ipſe levas.
More Dei minimo caperis ſublimis honore,
Donaque, ſi deſint grandia, parva placent.

Phœbe dabis vati vires in carmina; quamvis
Parva per immenſas vela ferentur aquas.
Non ego prima tuæ revocabo exordia gentis,
Nota ſatis titulis eſt domus iſta ſuis.
Notior eſt meritis, quæ nulla nepotibus ætas
Occulet, Alſatiæ dum ſata ſtirpis erunt.
Quod mare Bouſſuvios, quæ terra noviſſima neſcit?
Victrices tellus ſenſit, & unda manus.
Hoſtibus ereptæ commendant bella tuorum
Exuviæ (heroum nomina fama tenet)
Flandria teſtis adhuc; ſpolio decorata 1. Leonis,
Tranſtulit in ſcutum munera veſtra ſuum.
Bruga tenet, veſtrique colit monumenta laboris,
Sacraque divini dona 2. cruoris habet.
Ipſe tuus genitor preſſæ ſuccurrat ut urbi,
Perrupto mediis hoſte 3. natavit aquis.
Ipſe algens madidos tulit intra mœnia greſſus,
(Turbidus hiberno tempore Scaldis erat,
Scaldis aquâ celer, & cinctæ conterminus urbi)
Non aliud rupto ponte patebat iter.
Quid patriæ non audet amor? lethalis aduſſit
Oſſa vapor, medicâ non ſuperandus ope.
Magna quidem data ſunt virtuti prœmia tantæ,
Fortiaque auratum pectora vellus obit.
Non tamen eſt animus proavorum illuſtria facta
Dicere: materies tu mihi ſolus eris.
Bella illi, partoſque inimicâ clade triumphos,
Vallaque prenſa manu, ſignaque fixa canant.
Juſtiùs hoc reduci tibi nos gratamur ovantes,
Quo cedunt armis arma profana ſacris.

1. *Philippus Alſatius, victo occiſoque Albaniæ rege, Leonis inſignia, reportatæ victoriæ ſpolium in Flandriæ ſcutum retulit.*

2. *Theodoricus Alſatius, Flandriæ Comes, quater ad Syriæ bellum profectus; relatum indè ſacrum Chriſti Domini cruorem Brugenſibus dono dedit.*

3. *Pater Eminentiſſimi, obſeſſa à Gallis Aldenardâ, perruptis caſtris hoſtilibus, Scaldim fluvium rapidiſſimum hiemali tempore natando trajiciens penetravit in urbem, contractiſque frigore nervis, lentâ dein & glorioſâ morte pro patriâ defenſione occubuit.*

Fallor? an antevolat victrices Fama quadrigas,
Gestaque cælesti prælia marte canit?
Sic est : Roma tibi defert cum Cæsare palmam,
Et cladem fidei publicus hostis habet.
Ille palam solitus Latias contemnere leges
Impia mandato Cæsaris ora premet.
Spargere sacrilegos jam desinet ille libellos,
Pœnarum calamos excutiente metu.
Quippe ligant vulgata, foroque in utroque recepta
Dogmata : vis illis major inesse nequit.
Ergo etiam occultum legis Deus arguet hostem.
Quid refert, perdas clamne, palamne fidem?
Non minus æternum stabis reus ante tribunal,
Arcanique Deus criminis ultor erit.
Cetera prætereo palmæ monumenta relatæ,
Quorum pars potior, vate silente, patet.
Roma quidem doluit, teque urbe invita remisit,
Difficilique tuam tempore sensit opem.
Et cuperet, si non absens magis utilis esses,
Purpureos inter te retinere Patres.
Sic tua spectata est dubiis prudentia rebus,
Et vigil ad quodvis mens tibi semper opus.
I tamen, i, dixit : nostro Carolique favore
Victor eris : cladem Styx gemet ima suam.
Eventu patuêre suo præsagia : cælum
Non potuit causæ nolle favere tuæ.
Penè tamen lentum tellus te nostra vocavit,
Utraque cum longas texeret aula moras.
Da veniam, verbo si quid peccavimus isto.
Suasit amor : non est, qui patienter amet.
Ignaros latuit moles immensa laborum,
Curaque quæ noctes, quæ rapuitque dies.
Nempe lacessitus vafris tot ab hostibus, & qui
Tela retorqueres omnia, solus eras.
Omnia sic Danaum Troianis agmina quondam
Mœnibus Hectoreâ pulsa fuêre manu.

At

At bene lenivit faſtidia temporis æther;
    Dextro perfectis Numine rebus ades.
Orba diu Patrem quæ ſuſpiravit ademptum,
    Belgica te poſito læta dolore videt.
Quàque licet, preſſis animi complectitur ulnis,
    Et lacrymæ taciti pignus amoris eunt.
O quoties venerata piis altaria votis,
    Cæleſtem pro te ſollicitavit opem!
Et timuit, præceps ne dum rota volvitur altis
    Montibus, abreptos vinceret axis equos:
Fervidus aut torrens, nive dum pluviâque redundat,
    Spumantem lato clauderet amne viam:
Neve alius turbaret iter lævo omine caſus,
    Qualia ſollicitus plurima fingit amor.
Nec vanus timor ille fuit: præcordia febris
    Intima ſeptenos uſſit anhela dies.
Sectaque nîl morbi lenivit vena furorem;
    Heu nihil in medicâ, quod juvet, arte fuit.
Prima ſalutiferi Mechlinia cauſa vigoris
    Creditur, & preſſi cauſa fuiſſe mali.
Namque urbs tota (tui quamvis erat inſcia morbi)
    Ante ſacros viſa eſt procubuiſſe focos.
Et populus ſupplex onerabat ſidera votis
    Illo, quo pulſa eſt febris amara, die.
Plenaque vix denſam capiebant atria turbam.
    Tantus in accenſis civibus ardor erat.
At prior hac potiorque fuit tibi cauſa ſalutis
    Divus ab ætheria viſus adeſſe domo.
Ille ſibi 4. factum ferventi pectore votum
    Reſpexit, medicas applicuitque manus.
Viſque mali ſubitò, rapiduſque relanguit ardor,
    Tertiaque à voto lux ſine febre fuit.
Qui rumor noſtras poſtquam penetravit ad oras,
    Motaque prodigio corda fuêre novo,

 Pro-

4. *Quo die Eminentiſſimum Arimini febris deſeruit, illo ipſo, preces publicæ pro ejus incolumitate Mechliniæ fuerunt indictæ, voto prius ab ægrotante S. F. Xaverio facto.*

Protinus 5. ante tuas, Xaveri, sternimur aras,
 Et damus in sanctos debita thura focos.
Totaque agit meritas Divo Mechlinia grates,
 Et pia pro salvo vota parente facit.
Utque brevi reducem liceat spectare, precatur,
 Constantique Deus te tueatur ope.
Gratia cælitibus ! tua nunc præsentia Belgis
 Compensat longæ damna priora moræ.
Et quantum trepidos movêre pericula, tantum
 Lætitiæ, cum jam præteriêre, ferunt.
Anxia sic sponso lætatur sponsa recepto,
 Dum procul Eoo sospes ab orbe redit.
Nautaque detecto sic gaudet sidere, postquam
 Jactavit dubiam cæca procella ratem.
Nec nati minùs ex acie sine vulnere salvum
 Finito gaudent marte redire patrem.
His patet exemplis quantum tibi Belgica tellus
 Debeat, & titulos hinc tot amoris habet.
Namque idem es Sidusque tuis, Sponsusq;, Paterq;
 Quæ tria sunt curâ nomina digna tuâ.
Sideris in morem, falsi caligine pulsâ,
 Securum fidei lux tua monstrat iter.
Sponsus es : à sponsa per te removetur adulter,
 Ne malus hanc fallat, ne rapiatque, caves.
Es Pater : inque inopes reditus dum vertere gaudes,
 Non tibi natorum copia grandis abest.
Sed quid opus verbis? meliùs tua facta loquuntur;
 Nullaque par : meritis laus minor omnis erit.
Exoriensque suo veluti se lumine Phœbus
 Prodit, nec nitor hic voce probantis eget;
Haud aliter virtus per se præcone remoto
 Emicat, atque oculos splendor uterque trahit.
Nec pudor est, si Musa tuis virtutibus impar
 Cedat, & in vasto gurgite litus amet.

Ec-

5. *Quo Beneficio cognito, ad aram ipsius Sacrum solemne in gratiarum actionem, præsente Illust. D. Internuntio, decantatum fuit.*

Ecquis enim tanta rerum ſub mole tuarum
Sentiat ingenium non cecidiſſe ſuum?
Nam priùs Heſperiis Titan orietur ab undis,
Pronus & Eois incidet axis aquis,
Jupiter Oceanumque reget, Neptunus Olympum,
Lunaque fraternis altior ibit equis;
Quàm tua tutandis deſit vigilantia Belgis,
Curaque cum vitâ deſinet iſta tuâ.
Non tamen ex toto: cæli quoque parte receptus,
Pectora cæleſti noſtra levabis ope:
Dimidioque tùi ſuperâ regione frueris,
Dimidio curam relligionis ages.
Ardor inexpletus ſuperabit tempora vitæ,
Mors neque fervorem finiet atra tuum.
Jam nunc mortiferæ tollis contagia peſtis,
Ne noceantque animis tecta venena caves.
Scriptaque divinis elidis inania ſcriptis,
Fucatos calamo perſequeriſque dolos.
Et digito monſtras, lateat quâ vipera parte
Abdita, per flexus fallere docta novos.
Quæcumque ingenio texit fraus ſubdola vafro,
Cæleſti per te luce retecta patent.
Cedite Bouſſuvii proceres: mihi credite, veſtrâ
Clarior hâc acie fama nepotis erit.
Numinis hæc cauſa eſt: Mavortis veſtra profani.
Vos patriam: patriæ protegit ille fidem.
Exſuperat veſtras tantum hæc victoria palmas,
Quantum animæ pretiũ corpore majus habent.
Aſtra favent; tu ſigna move: cadet impius Error
Marte ſacro: monſtro jam fuga nulla patet.
Sæpe quidem fallax veloci ſtantia ſaltu
Retia, diſpoſitas tranſiliitque plagas.
Nunc validæ vinctumque premunt, ducuntq; catenæ,
Collaque victori percutienda dabit.
Ecce furens trahitur nigro tumefacta veneno
Bellua, quinque ferâ cornua fronte gerens.

Arripe tela manu vindex : dabit hoſtia cultro
Guttura : ſacrificam poſtulat ara manum.
Jam Petri gladio gladius ſe Principis addit.
Tartarus hos contra non ferat arma duos.
Spernere quæ ſolita eſt Tarpæi fulmina montis,
Lethiferum duplici vulnus ab enſe feret.
Roma, tibi Regum ſociata potentia, cladem
Hæreticis ſemper Schiſmaticiſque dedit.
Aut damnata ſuæ poſuerunt crimina Sectæ,
Aut patriam celeri deſeruêre fugâ.
Jam pariter nova Secta cadet; percuſſa recumbens
Bellua fœdatam ſanguine tingit humum.
Carolus ut ſceptri, fidei ſic jura tuetur,
Et gemino palmam victor ab hoſte petit.
Illa vetus pietas, ſtirpique domeſtica ſacræ,
Ivit in heredes, ſemper itura, ſuos.
Hæc generis dos eſt, & avitæ gloria famæ,
Auſtriacis ſummum contulit illa decus.
Illa dedit ſtirpi, ſtirpi dabit illa nepotes.
(Dent Superi voto pondus ineſſe meo !)
Utque olim imperii Rudolpho Roma coronam
Detulit, & natis ſceptra paterna dedit;
Sic fidei ſacram domus hæc tutabitur arcem,
Pontificique feret, res ubi poſcit, opem.
Jamque tulit : Decreta vigent Romana jubente
Cæſare : perfidiæ non tulit ille nefas.
Turba rebellatrix veteres ſubmittere faſtus
Cogitur, & capiti flectere colla ſuo.
Si quis adhuc pugnæque avidus, frenumq; repellens
Prodeat, ultrices ſentiet ille manus.
Non tamen hæc, Præſul, ſine te victoria parta eſt.
Prodita ſunt curâ frauſque doluſque tuâ.
Hactenus inſidiis potuit captare favorem;
Verbaque fallendis auribus apta loqui.
Tu, quibus impietas patuit, documenta dediſti:
Sectæ nota ducum pectora Cæſar habet.
An-

Ante petet fontem revocatis fluctibus Ister,
Solque sui radiis luminis orbus erit,
Et nive trux Boreas, tepido Notus imbre carebit,
Et pelagi vetitas Ursa subibit aquas;
Quàm ponat Latiæ gens hæc fastidia Mitræ,
Duraque Præsulibus pareat illa suis.
Quis credat? septem sensit sua scripta notantes
Pontifices, totidem sprevit & illa notas.
Herculeæ similis, de vulnere pullulat, Hydræ,
Cervicem scissæ substituitque novam.
Roma (caput fidei) furiis clamantibus istis
Massilia est: quid non error & ira vomunt?
Vidimus intrepidis morientia lumina condi,
Ultima Pontifici voxque rebellis erat.
Omne jugum, legemque ferox detrectat & odit
Hæresis, & rixæ fertile pectus habet.
Dumque valet numero, Regum se opponere sceptris
Audet 6. & ardentes aptat ad arma manus.
Rupta fides cælo regnis funesta, gradusque
Rumpendæ fidei Regibus esse solet.
Fonte solent illo patriæ manare tumultus,
Magnaque pars regnis sæpe revulsa fuit.
Tolle fidem populis, pacis quoque fœdera tolles.
Præteriti satis hoc temporis acta docent.
Musa tace: quid enim priscos renovare dolores
Attinet, & patriæ damna referre meæ?
Ah satis est sensisse semel quid Schismata possint.
Ne redeat tantum, Dî prohibete, nefas.
Omniaque hæc vidit, qui pervidet omnia Cæsar:
Dissidii causas sustulit ille novi.
Quosque regit Belgas, pariter Romæque sibique
Subjectos, geminâ vivere pace cupit.

Hæc

6. *Intelligebat profecto clarissimæ memoriæ Ludovicus XIV. Proavus tuus, quam infensi essent publicæ pacis hostes, qui Apostolicæ auctoritatis jugum excussissent.* Innocentius XIII. Brevi ad Ludovicum XV. dato 1722. die 24. Martii.

Hæc nobis rescripta refers dignissime Præsul,
Hoc pretium magni grande laboris habes.
Per te pax patriæ : per te Romana triumphat
Relligio : per te publica tuta salus.
Perge rebellantes fidei compescere motus;
Si quis erit, procul hinc hostis apertus eat.
Certantem te Roma juvat, Cæsarque, Deusque,
Indociles nec qui protegat, ullus erit.
Omnia tentasti, nec adhuc tentare pigebit,
Ut fera, suspenso fulmine, corda trahas.
Denique blanditiis impervia corda merentur
Judicis ut partes, criminis ultor, agas.
Jam satis est contempta tuæ patientia dextræ;
Impietas longâ crescit inulta morâ.
At quisquis posito supplex errore redibit,
Ibit in amplexus protinus ille tuos.
Præteritæque tibi venient oblivia culpæ,
Et nova subjectæ prœmia mentis erunt.
Dummodo qui linguâ nocuit, malè dicta retractet,
Et reparet factis facta priora novis.
Omnibus hoc spondet, tua quo præcordia flagrant,
Quique tuo numquam corde tepescit, amor.
Ferreus est, animo si quis non tangitur isto,
Tutaque servati pars negat esse gregis.
Ferreus est, à te post tot data signa favoris,
Si quis adhuc vacuum pectus amoris habet.
Ille & duritiâ scopulos, adamantaque vincit
Barbarus, Armeniæ lac bibit ille feræ.
Ille nec humanæ suxit puer ubera matris,
Perfida nec nostro sanguine vena tumet.
Ergo quem prohibet revocare superbia gressum,
Errorisque vetat pœnituisse pudor;
Invisus Romæ pariter, Caroloque, tibique,
Ad pœnam lentos incitat ille suam.
Sed neque nostra rigent ferro præcordia, nec nos
Ubera montanæ traximus ore lupæ;
Ut

Ut cadat in mores feritas tam barbara noſtros,
Deleat aut veniens tot benefacta dies.
Donec oves agnique thymi rapientur odore,
Frigida languentem dum teget umbra gregem,
Dum capreæ montes, dum fœtæ dulcia vaccæ
Paſcua, dum vitreas cycnus amabit aquas,
Et pia dum ſtabunt cum Cæſare fœdera Romæ,
Firmaque pax mundi junget utrumque caput;
Belgica Paſtoremq; ſuum, Sponſumque, Patremque
Te colet, auxilio tuta futura tuo.
Et nihil à Latiis poterit divellere Belgas
Legibus : illa tui palma laboris erit.
Jure igitur Belgæ reduci gratamur ovantes,
O pater ! ô patriæ fama decuſque tuæ!
Carminibus modò finis erat, curſuque peracto
Contigerat portum feſſa Thalia ſuum.
Vecta levi pennâ vatem nova fama coëgit
Sepoſitæ rurſus tangere fila lyræ.
Illa mihi retulit quam raro Præſul honore
Intrarit ſponſæ mœnia cara ſuæ.
Utque expectato populos hilaraverit ore,
Urbi nec fuerit lætior ulla dies.
Ille avidas rumor poſtquam mihi vênit ad aures,
Non potui Muſæ frena tenere meæ.
Utque oleum vires languenti ſufficit igni,
Ut ruit auditâ miles ad arma tubâ,
Sic mea ſunt animata novi ſplendore triumphi
Pectora, ſic rediit vivus in oſſa calor.
Nec mora, cantandi ſpectacula publica vênit
Impetus (abſcedas invida turba procul)
Ipſe nec hæc vidi; nec erit mirabile, ſi quid
Erratum eſt numeris præteritumve meis.
Fama procul poſito non omnia dicere vati,
Ordine nec quo ſunt geſta, referre poteſt.
Acriùs incendunt animum præſentia : rerum
Et nitor & ſpecies, quo rapiamur, habet;
Nunc audita ſequor; nunc omnia credere famæ

Cogimur : illa mihi teſtis, & obſes erit.
Hæc mihi narravit quantos Mechlinia plauſus
Ediderit, cultu conſpicienda novo.
Cumque priùs madidis cælum nigreſceret Auſtris,
Iret & inductâ lurida nube dies;
Præſulis adventu clara ſol luce refulſit,
Formoſum tenebris exſeruitque jubar.
Velle putes ipſum teſtari gaudia cælum,
Plaudentumque animos, lætitiamque ſequi.
Urbe procul vulgus venienti occurrere geſtit,
Quiſque ſuos avidus deſeruitque lares.
It longum campis agmen, muroſque relinquit,
Preſſaque denſatum turba retardat iter.
Ordo ſacer vexilla ſequens, cantuque laceſſens
Æthera, diverſæ Relligionis adeſt.
Dein ſequitur Clerus, niveo qui tectus amictu
Subſtitit, & portæ limina prima tenet.
Ponè Magiſtratus Cleri veſtigia preſſit,
Ingens quem populi turba ſecuta fuit.
Hâc pompâ ſummas Rumoldi Præſul ad aras
Ducitur, & templi limina ſacra petit.
Jamque foro vicinus erat : nova ſcena repente
Panditur, atque oculos altera pompa vocat.
Armati vario procedunt agmine cives,
Martis & in ſpeciem ludicra bella movent.
Remque geri credas vero certamine, tantas
Cum tonitru flammas æra coruſca vomunt.
Veſper adeſt : piceis ardeſcit ab ignibus æther,
Omnia lætitiâ tecta, viæque fremunt.
Dumque tenent cyathos & vina liquentia fundunt,
Annos Alſatio, canitiemque vovent.
Pars etiam magni cum Præſide miſſa Senatûs
Adfuit, & reduci proſpera vota tulit.
Poſtmodo te ſimili excepit Bruxella paratu.
Omnibus hinc quanto ſis in amore patet.
Denique dum cæli Belgæ tibi regna precantur,
Publica privato carmine vota ſequor.

ELEGIA V.

Ad Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum

D. PHILIPPUM ERARDUM VANDER NOOT, Gandensem Episcopum,

Annum ætatis agentem 86. Episcopatûs 29.

Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas Senectutis vita immaculata. Sap. 4.

DIci si qua potest venerabilis esse senectus,
Convenit hæc canis fama, Philippe, tuis.
Grande tibi tribuit transacta laboribus ætas
Inter honoratos nomen habere senes.
Mollia longam aliis deducunt otia vitam,
Una quibus vacuos fallere cura dies.
Deinde ubi nox sparsit rutilantibus æthera stellis,
Lunaque roriferos candida junxit equos,
Non curæ abrumpunt, non dura negotia somnum,
Alta quies pingui membra sopore fovet.
Sera nec exortum novêre cubilia Solem,
Sopitisque novæ pars bona lucis abit.
Hanc aliquis famâ dignam vel honore senectam
Esse putet? Pylios æquet ut illa dies.
Nempe etiam quercus annis plus crescere centum,
Seclaque cornices vivere plura ferunt.
Tempora non faciunt senium venerabile; si non
Quæque dies operis laude notanda sui est.
Qui solos numerat digitis quos perdidit annos,
Hic vitam in cunis ponere dignus erat.
Scilicet ætatis corrumpit inertia laudem:
Vita vacans lentæ mortis habenda loco.

Hic

Hic ſolus, mihi crede, diu vixiſſe putandus,
Nullum cui vitæ tempus abivit iners.
Penſanda eſt meritis, penſanda laboribus ætas.
Hæc facit una brevi tempore cauſa ſenem.
Acta novem ſeptemque tibi poſt luſtra, Philippe,
Alterius luſtri jam quoque finis adeſt.
Longa quidem ſeries annorum, longa dierum,
Quò paucis tremulo contigit ire gradu.
At tua ſi juſtos quis digerat acta per annos;
Implebis factis ſecula bina tuis.
Uſque adeo cumulata ſuis ſunt tempora rebus,
Et tibi pars vitæ nulla labore vacat.
Utque ſuperfuſo tellus Ægyptia Nilo,
Fertile de fluvii munere nomen habet;
Sic tibi ſi primæ geminentur tempora vitæ,
Alterius meritis altera dives erit.
Quid juvat ulteriùs ſacro dare colla labori,
Quæque gravent juvenes pondera, ferre ſenem?
Cernis ut emeritus vitet certamina miles,
Nec vetus à portu per mare puppis eat?
Ut ſenior vacuâ cedat gladiator arenâ,
Ruſticus & vetulo demat aratra bovi?
Tu tamen ignavam gaudes neſcire quietem,
Prœmiaque ætati debita ferre negas.
Munia nullus adhuc operoſa Vicarius explet,
Officii partes quaſlibet unus agis.
Sive opus eſt oleo puerorum tingere frontes:
Uncta redit manibus turba tenella tuis.
Seu rudis eloquio plebs eſt formanda diſerto:
Illa perorantis pendet ab ore ſenis.
Seu nova Romano ſacranda altaria ritu:
Per te ſacrificâ digna fit ara manu.
Prava refringenda eſt doctrina potentibus armis?
Nempe tuo calamo fulmen, & ore venit.
Denique quicumq; eſt longus quem parturit annus,
Incumbitque tibi, perficiturque labor.
Prompta

Prompta miniſterio tua vox, tua dextera ſacro.
Cura poteſt vegetum frangere nulla ſenem.
Quid, quod & his natus videare laboribus infans,
Gandaque ſit puero Sponſa dicata tibi?
Omen ineſt cunis, & habent natalia pondus
Sidera : lux vitæ prima notanda tuæ.
Augurium mitræ tibi lux dedit illa futuræ,
Auguriumque fides, reſque ſecuta probat.
Quâ pia te mater 1. genuit, Gandenſibus illa
Præcipuo culta eſt ſemper honore dies.
Illa dies hæc eſt, celebrem quam reddit Amandi
Gloria. Lux fidei civibus ille fuit.
Ille rudi populo legis primordia noſtræ
Tradidit, & ſacræ fonte piavit aquæ.
Ante ſuperſtitio, ſimulacraque vana deorum
Culta diu templis, Ganda, fuêre tuis.
Fanaque Mercurius vicino colle tenebat,
Fumabant patriis impia thura focis.
Nondum Chriſtiadûm fuerant tibi cognita ſacra,
Ligneus adſtabat qualibet æde deus.
Donec cæleſti tibi munere miſſus Amandus
Abſtulit erroris ſigna vetuſta tui.
Sic Helenæ ſunt rapta manu ludibria ſacri
Montis (in hoc Veneri junctus Adonis erat,
His comes è Pario ſublimis marmore ſtabat
Jupiter : in dextra fulmen inane fuit)
Ut regina nefas monitis cæleſtibus ulta eſt,
Redditus eſt monti, qui fuit antè, decor.
Illa Jovis, Veneriſque, & Adonidis impia ſigna
Suſtulit, inventam ſubſtituitque Crucem.
Quantum animos exempla movent! venerabile factũ
Divus apud Belgas qui renovaret, erat.
Ille animos ubi Flandrorum manſueſcere primùm
Edocuit, ritus inſtituitque ſacros,

Cri-

1. *Natus eſt Illuſtriſſimus die S. Amando ſacrâ, qui primus fuit Flandrorum, ac præcipue Gandavenſium Apoſtolus.*

Criminaque arcanâ natalia diluit undâ,
Victaque barbaries relligione fuit;
Exuitur feritas; nova lex, nova fœdera florent,
Et juvat immunes cædis habere manus.
Sæpe aliquis visa ferrum trux condidit ara,
Iraque complexus, pro nece, victa dedit.
Hæc populus sanctæ postquam nova commoda legis
Sensit, in antiquos vertitur ira focos.
Templa profana cadunt, formæque, aræque deorū,
Truncaque vicinus numina Scaldis habet.
Crux micat ex illo, qui nunc quoque collis Amandi
Dicitur : hæc fidei tessera prima fuit.
Extat adhuc parvum declivi in monte sacellum,
Araque, sed cultu jam vetus orba suo.
Sanctus in hac olim peragebat sacra Sacerdos,
Victima, mactato pro bove, Numen erat.
Postmodo neglectus (quid non spatiosa vetustas
Destruit?) & nullo mons in honore fuit.
Solaque restabant deserto nomina colli,
Horrebant densis saxa peresa rubis.
Indoluit Divus, populorum oblivia culpans,
Templaque restituat qui mea, dixit, erit.
Illa dies veniet, quam non procul auguror esse,
Accedet veteri quâ nova fama loco.
Dum licet, ex illo nunc carpite monte capellæ
Gramina : pòst illo pascere, crimen erit.
Jamque aderat lux sacra viro : tu nasceris illâ
Luce puer : cunas respicit ille tuas.
Respicit & mores maturâ ætate futuros,
Plurima quæque Deus dona daturus erat.
Nescio quid magnum portendunt sidera, dixit,
Natali crescet gloria nostra tuo.
Protinus infanti præsagia dixit Amandus :
Cresce, meâ cives Præsul in urbe reges.
Quamque fidem primus docui, tutaberis illam
Grandior, & curam pro grege pastor ages.
Evenient:

Evenient : falſus non hæc tibi nuntiat augur.
Tu ſeriem vitæ, parvule, diſce tuæ.
Celſa per undantem conſcendes pulpita plebem,
Moribus & veniet per tua dicta nitor.
Bella geres calamo, fideique fugabitur hoſtis,
Scriptaque Pontificum 2. voce probanda dabis.
Scripta, quibus Romana fides errore repulſo
Aſſeritur, doctum relligionis opus.
Verba Patrum referes, ducibuſque tueberis illis
Quem tibi committet Roma Deuſque gregem.
Auſtriacamque ſenex ibis legatus in urbem,
Voce tuâ patriæ rem peragente tuæ.
Denique magnifico ſumptu 3. mihi templa dicabis,
Et meus ex illo tempore creſcet honor.
Gratus ero, præſenſque tuos mea cura labores
Provehet, & vitæ tempora longa dabit.
Hæc olim de te præconia dixit Amandus,
Vera per eventus ſingula facta ſuos.
Non opus eſt proavos poſt hæc memorare potentes,
Clara vel antiquæ geſta referre domûs.
Nota ſatis faſtis ea ſunt quæ marte, togâque,
Inclyta per priſcos facta leguntur avos.
Et tua nobilitas, quamvis per longa coruſcans
Secula, pars minima eſt laudis habenda tuæ.
Sola tibi pietas, & faſtûs neſcia virtus
Præcipuum viſa eſt ſemper habere decus.
Omnibus hæc titulis tanto eſt ſublimior, alto
A cæli quantum vertice diſtat humus.
Hæc puero tibi culta fuit, juvenique, ſenique,
Hæc, ut deficiant cetera, morte caret.
Sola tibi fuit hæc fabricandi cauſa ſacelli,
Quod ſpeciem templi mole capacis habet.

2. *Decretum edidit Illuſtriſſimus ſolidiſſimum pro obſervanda Conſtitutione Unigenitus, Brevi Apoſtolico laudatum.*

3. *In colle urbi Gandavenſi vicino Sacellum ingens ædificavit S. Amando ſacrum, qui olim eo in colle crucem Domini erexerat primus, everſâ Mercurii ſtatuâ.*

Hoc tua conſtructum pietas ſacravit Amando,
Hoſtiaque hîc manibus prima litata tuis.
Dicere longa mora eſt formam templique, locique.
Æquatam trames ſternit utrimque viam.
Nunc patet aſcenſu facilis, mons arduus olim,
Et circum viridem lucus opacat humum.
Crux ingens mediis argentea fulget in aris,
Auro quæ pretium divite majus habet.
Quippe Crucis Domini partem, quã Roma reſectam
Miſerat, auguſto continet illa ſinu.
Munera præterea, cultumque altaribus aptum
Adjicis : in magno eſt priſcus honore locus.
Huc pia plebs veterem properat cultura patronum,
Et nova ſolemnes accipit ara preces.
Jamque moras tandem, primique oblivia cultûs
Damnat; & hoc curæ prædicat eſſe tuæ.
Per te mons celeber : per te renovatur Amandi
Gloria : tu vindex illius ; ille tui.
Illo credibile eſt ſalvum ductore Viennam
Per medias tectis montibus iſſe nives,
Nec Boream nocuiſſe ſeni, currentia quamvis
Siſteret arctoo flumina vincta gelu.
Verus amor patriæ præcordia fortiùs uſſit,
Brumaque debilior pectoris igne fuit.
Felix ! cui ſenium venerabile contulit æther:
Nîl homini majus quod dare poſſit, habet.
Perge novis canam meritis decorare ſenectam,
Horaque ſit vitæ tarda ſuprema tuæ.
Ad ſuperos donec migranti occurrat Amandus,
Binaque ſideribus nomina juncta micent.
Nam velut amborum eſt cumulata laboribus ætas,
Gloria ſic functis una duobus erit.
Gandaque dum collem renovatum læta reviſet,
Spectabitque tuâ condita templa manu,
Fama viri, dicet, per noſtros ſera nepotes
Ibit, & auguſtum grata loquetur opus.

Oſſaque dum ſacro condentur inania buſto,
In cinerem lacrymas, ultima dona, feret.
Et memor in tumuli carmen breve marmore ſcribet:
Hìc jacet æterno dignus honore ſenex.

ELEGIA VI.

Ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Dominum,

D. ANGELUM D'OGNYES,

Ex Sacro FF. Capucinorum Ordine aſſumptum Epiſcopum Ruræmundenſem.

POſtquam te læti puerum genuêre parentes,
Et relevata uteri pondere mater erat,
Miſſa polo nutrix tibi clam dedit ubera Virtus,
Et Pietas cunas ducere juſſa tuas.
Illa tibi totis hæſit victura medullis,
Victorem vitiis impoſitura pedem.
Nobilitaſque ſuos quamvis ſimul indidit ignes,
Debilior ſacrâ flamma profana fuit.
Hoc pater ignorans, pictas numerabat avorum
Effigies, priſcæ nomina clara domûs.
Ille pio ſupplex fertur ſic ore precatus,
(Fronte ſuper pueri dextra precantis erat.)
Dî tibi dent factis non degenerare priorum,
Perque tuæ titulos, parvule, gentis eas.
Sive tibi Mavors & claſſica pulſa placebunt;
Palmam proſtrato victor ab hoſte feras.
Invenies illo proavos in pulvere claros,
Qui tibi bellanti nobile calcar erunt.
Seu tu conſilio mavis prodeſſe, togâque;
Ingenium patriæ ſerviat omne tuæ.
Hìc quoque clara tuæ cenſentur nomina gentis,
Hìc quoq; quos ſpectes, quoſq; ſequaris, erunt.

Quidquid ages; puer exemplis moveare tuorum,
Nec cedat magnis fama nepotis avis.
Quæque tuis olim donarunt munera Reges,
Hæc eadem gestis fac mereare tuis.
Fulva recognosces pendentia pectus ad imum
Vellera, 1. quæ Comites, quæ retulere Duces.
Talia cum placidum traheres à lacte soporem,
Solliciti pro te vota parentis erant.
Irrita parte aliquâ, quâdam rata parte fuerunt,
Votaque non omni fine paterna carent.
Concessit precibus partem Deus: ille, tuorum
Exsuperent fastos ut tua facta, dabit.
Major eris proavis; sed eris sine marte: tibique
Utilius voti parte carere fuit.
Profuit & patri: vani quæsivit honoris
Culmina; quæsitis nobiliora feret.
Sæpe Deus meliora preces ad munera vertit.
Exemplo Præsul res manifesta tuo est.
Aucta tribus juveni lustris adoleverat ætas,
Addiderasque annos ad tria lustra duos.
Bellonæ rapuit juvenilia pectora fervor,
Et tibi mens patrii plena vigoris erat.
Armaque nîl præter manibus versare juvabat,
Gaudiaque auditâ summa fuêre tubâ.
Subdebatque animo stimulos hinnitus equorum,
Metaque veloci pulverulenta fugâ.
Nobilis in venis, nondum virtute subactus,
Horrida qui peteret prælia, sanguis erat.
Ipse tibi Mavors turmæ moderamen equestris,
Ductoresque inter nomen habere dedit.
Grande rudimentum, majorisque omen honoris,
Sanguineum superis si placuisset opus.
Divus Amor bellis animum melioribus aptum
Viderat: &, Meus est ille futurus, ait.

In-

1. *Aureo Vellere à Rege decoratus fuit Comes de Coupigny, & Ordini S. Spiritûs adscriptus Dux de Chaune.*

Induit ille humeris pharetram, flammamq; sagittis
Addidit : in læva flexilis arcus erat.
Nox medium peragebat iter; te somnus habebat:
Aliger ad thalami limina vênit Amor.
Constitit ante torum, clarâque in luce refulgens
Cælesti tales edidit ore sonos.
Parce cruentatos animo spondere triumphos,
Deque tuis manibus scuta profana cadant.
Pro galea mitram cælum dabit : abjice ferrum,
Dextra pedum melius pontificale geret.
Neu tu desidiam metuas & inertia vitæ
Tempora : non omnis martis abibit amor.
Miles eris, victisque dabis sine sanguine cladem
Sensibus : hæc armis palma petenda novis.
Paupertas juvenem sua sub vexilla vocabit,
Parsque Deo sacræ parva cohortis eris.
Omnia sub pedibus vitiorum monstra jacebunt,
Flebit & extinctas ipse Cupido faces.
Atque in te tibi tela dabit cælestia Virtus,
Tuque tibi miles, victor, & hostis eris.
Pòst graviora tibi restant certamina, restant,
Externoque feres majus ab hoste decus.
Turba rebellatrix Romæ parere magistræ
Quæ negat, ultrici concidet icta manu.
Junges Præsulibus Præsul socia agmina Belgis,
Multiplicique error vindice pulsus erit.
Dixit Amor, telumque aurato misit ab arcu.
Cælesti factum cuspide vulnus habes.
Vulnere ab hoc nova lux animo, nova flamma refulsit,
Militiæque tibi jam nova signa placent.
Arma humeris, laterique revinctus ponitur ensis,
Nec mora : Francisco sub duce castra petis.
Serviat Austriacis tellus; tibi Cæsar Olympo
Quæritur, imperio qui regit astra suo.
Terra vale, valeatque domus, valeantque propinqui,
Vilia plus patriis tecta decoris habent.

Jam tibi, pro molli, ſetis placet aſper amictus;
Pro ſomno, cantu nox vigilanda ſacro.
Terga ſonant flagris, mentum tonſore remoto
Squalet; habent nudi tegmina nulla pedes.
Erigitur raſo pannoſus vertice conus,
Labitur interdum, tergaque ſumma ferit.
Corrumpuntque brevem duriſſima ſtrata ſoporem,
Molle ſuper tabulas porrigiturque latus.
Mille reluctantes vexant incommoda ſenſus,
Non tibi nocte quies, non tibi luce venit.
Sæpe ſcyphum coram poſitum libare vetaris,
Appoſitâque nefas tangere lance dapes.
Nec tua Tantaleis diſtant jejunia; ſi non
Diſcrimen virtus ſuppliciumque ferat.
Ille luit Stygiam violato numine pœnam,
Promeruêre tuam crimina nulla famem.
Hæc tua militia eſt: hac exerceris arena.
O quantum hæc duri lucta laboris habet!
Ipſa licet freni impatiens natura repugnet,
Interdum patrios reſpiciatque lares,
Perge tamen dubios animi ſuperare tumultus,
Deque triumphato corpore victor eas.
Hæc de te tibi parta dabit victoria mitram,
Præmia divinus quæ tibi ſpondet Amor.
Abditus ut lateas, virtutis fama latentem
Prodet, ut in tenebris clariùs aſtra nitent.
Te cupient Reges divini ſemina verbi
Spargere, & eloquio corda movere tuo.
Principibus 2. coram tua vox facunda tonabit.
Ille gradus ſacri primus honoris erit.
Mox Latiam radios virtus tua mittet in arcem.
Longinquo videt hæc quidquid ab orbe micat.
Nec vidiſſe ſat eſt; meritos quoque reddit honores:
Non habet illa pigras ad benefacta manus.
Illa

2. *A Carolo II. Hiſpaniarum & Indiarum Rege in Burgundiæ & Caſtellæ ſacellis concionator regius fuit electus.*

Illa tibi fidens caulam paſtoris egentem,
Præſule te ſoſpes grex tuus, inquit, erit.
Parva quidem pauper venies ad ovilia paſtor,
Vixque tibi victum lanaque, lacque dabunt.
Pabulaque in vacuis quærent præſepibus agni,
Ubera nec matres veſpere plena ferent.
At tua ſedulitas, vigileſque ad proſpera curæ
Adjicient ſeptis jugera multa tuis.
Roma tibi ſolamen erit, tibi Cæſar egenti;
Hic tibi munificas ſpondet, & illa manus.
Grexque ſuo felix olim paſtore feretur,
Aſſurgent fragiles in nova tecta caſæ.
Includetque pecus validi cuſtodia muri,
Ne rumpant avidi vimina texta lupi.
Providus hæc olim Clemens ventura ſpopondit,
Cum tibi, Commiſſas protege, dixit, oves.
Nec ſua ſpes illum de te concepta fefellit:
Plura capax ſolito gramina reddit humus.
Quippe novis tenues reditus proventibus auges,
Et facis ex ſterili pinguia rura ſolo.
Quæque pater dederat, 3. ſceptri modo filius heres
Pruſſica regali dat tibi dona manu.
Relligio à noſtris licet hos nova ſeparet aris,
Præmia virtuti quæ tribuêre tuæ.
Jam tua vicinis paſtoribus horrea certant,
Vixquè novas meſſes area lata capit.
Farra nec armentis, nec ſacris farra colonis
Deſunt, nec niveo pabula læta gregi.
At reditûs pars parva tuos ſervatur in uſus,
Et memor antiqui fercula moris amas.
Utilis eſt tua cura aliis, partiſque fruetur
Vulgus inops: hoc, te paupere, dives erit.
Quas tibi divitias puero natura parabat,
Abjicis: abjectas quis ſibi poſcat opes?

3. *Ab utroque Boruſſiæ Rege, patre & filio, annuâ penſione liberaliter donatus fuit.*

Cetera quid referam virtutum exempla tuarum,
 Corda quibus fidei non ſatis æqua trahis?
Jura ſacerdotum (populis inviſa propinquis)
 Non minuunt avidæ, te vigilante, manus.
Hoſtis odoriferos (tanta eſt vicinia) fumos
 Spectat, & auſpicio tuta ſtat ara tuo.
Guelphorumque Ducis Princeps tibi filia curas
 Sublevat: illa tui mater habenda gregis.
Tu populum monitis; exemplis excitat illa.
 Tu ſermone fidem; moribus illa probat.
Et quamquam illius genitam de ſanguine fratris
 Duxerit, imperii qui modo ſceptra tenet:
Plus tamen illa ſuis ſtirpem virtutibus ornat,
 Exſuperatque animi nobilitate genus.
Sæpe illi porrecta tuâ fuit hoſtia dextrâ,
 Et pia cæleſtis vênit in ora cibus.
Firmaruntque fidem per te data balſama 4. fronti,
 Tartareâ ne quâ fraude petita labet.
Tu quoque magnifici, quæ ſtruxerat illa, Sacelli
 Atria, ne maneant tecta profana, facis.
Per te jam locus eſt cæleſtibus utilis aris,
 Et ſacrata tuâ 5. ſaxa fuêre manu.
Denique ne noceant ovibus fureſque, lupique,
 Fata ſenem rapiant ſi properata, caves.
Paſtor adeſt, viduum poſt te qui curet ovile,
 Jamque ſui ſupplet Præſulis ille vices.
Ille pari paſſu veſtigia nota ſequetur,
 Qui ſimilis titulum relligionis habet.
Namque eadem miles Franciſci caſtra ſecutus,
 Uno militiæ ſub duce ſigna tulit.
Hunc ſimilis doctrina tuæ virtuſque polivit,
 Et morum gravitas, eloquiique nitor.

Et

4. *Henrietta Chriſtina Sereniſſimi Guelphorum Ducis filia, nata dux Brunvicenſis & Luneburgenſis; cujus fratris filiam duxit Auguſtiſſimus Imperator Carolus VI. ſolemni Confirmationis in ſuſcepta Romano-Catholica fide Sacramento ab Illuſtriſſimo munita fuit.*

5. *Sacellum ab eadem Ruræmundæ magnificè extructum, ſolemni ritu, ingentique civium concurſu, conſecravit.*

Et ſpectata palam geſtis prudentia rebus,
  Vitaque per cunctos Ordinis acta gradus.
Nutibus illius Provincia paruit olim,
  Nullum quo ſubiit mitius illa jugum.
Ille pedo, mitræque pares; ovibuſque regendis,
  Judicio dotes viſus habere tuo.
Judiciumque tuum cum Cæſare Roma probavit.
  Nunc veniet fati mollior hora tui.
Dum loquor; extinctum ſubito te funere nobis
  Fama refert: cantus comprime, Muſa, tuos.
Quid juvat ad ſurdum præconia dicere buſtum?
  Altior humanis laudibus ille volat.
Nos agimur pelago; portum tenet ille quietum,
  Cæleſtes inter Pontificeſque ſedet.
Oſſa tegit tumulus: tumulo non conditur illo
  Gloria: poſt cineres illa ſuperſtes erit.
Utque ſuæ vivus, ſic ſponſæ mortuus idem
  Profuit: hæc heres illius una fuit.
At ne ſera viri veniant oblivia tanti,
  Fama ſed in ſeriem poſteritatis eat,
Qui modo defuncti ſucceſſit honoribus, illum
  Reſtituet vivum moribus ipſe ſuis.

ELEGIA VII.

Ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Dominum,

D. PETRUM JOSEPHUM DE FRANCKEN SIERSTORPFF

Epiſcopum Antverpienſem

Cum in Eccleſiam ſuam ſolemniter introduceretur.

PRæſule læta novo viduos Antverpia queſtus
  Comprime: præteriti cauſa doloris abeſt.
Tandem Roma tuos lenivit proſpera luctus,
  Teutonicæque decus gentis habere dedit.

Quæ-

Quæque gravis noſtris ſolet eſſe Batavia ſacris,
Viſa mihi ſolito lenior illa fuit.
Et tamen hæc urbem ſociali marte tenebat,
Et poterat longas nectere dura moras.
Nota viri probitas animos rapuiſſe videtur,
Quâque valet, linguæ gratia blanda ſuæ.
Illius experta eſt olim gens provida mores,
Tunc cum legati 1. munere functus erat.
Et quamquam ingenii præſtabat acumine, ſola
Non tamen hæc fructum cauſa favoris habet.
Fortiùs abrupit victrix obſtacula virtus.
Quoſlibet hæc animos flectere ſola poteſt.
Illa retardatos tibi maturavit honores:
Ambit honoratum denique vitta caput.
Magna quidẽ merces, meritis neq; grandibus impar:
At dubium eſt, mitræ gratuler, anne viro.
Scilicet hanc ornat, pariterque ornatur ab illa,
Inque vicem magnum dat, recipitque decus.
Lux genialis adeſt : feſtos Antverpia cultus
Indue : ſit luctûs jam meminiſſe nefas.
Pompa vocat : novus ingreditur tua mœnia Præſul,
Jactato nitidas flore tegente vias.
Æra diem celebrant ſummâ modulantia turri,
Omnia gratanti compita voce ſonant.
Majeſtas & Honor Sponſum præcedit euntem,
Ponè ſubit niveâ candida veſte Fides.
Ipſe pater Scaldis redimitus arundine frontem,
Vix ſummas ripis continet altus aquas.
Cauſa novi faſtûs præſentis gloria pompæ:
Hâc tumet, & Rheno cedere velle negat.
Præſulis ille licet ſe clarus origine jactet,
Geſtaque pro patria munia multa canat,
Factorumque vocet te docta Colonia teſtem:
Præcipui titulum Scaldis honoris habet.

Fontibus

1. *Pridem ante Epiſcopatum delegatus fuit Illuſtriſſimus ad Status à Principe Colonienſi.*

Fontibus hoc aliis audet certare, ſuumque
    Non putat eſſe minus quolibet amne decus.
Danubio tantum, qui Cæſaris alluit urbem,
    Et Tyberi famulas ſternere gaudet aquas.
Acceptique memor decoris, ſe pronus & urnam
    Subjicit, & dominum noſcit utrumque ſuum.
Et prius in vacua reſidebit ſiccus arena,
    Quam Carolo diſcors, & tibi, Roma fluat.
Nec non poſt geminos amnes tibi, Dilia, cedit;
    Nam mitræ titulum tu potioris habes.
Candida lætitiæ geminant quoque ſidera cauſam,
    Purior Eois Lucifer exit aquis.
Nulla ſerenatum contriſtant nubila cælum.
    Cui faveant, Solis noſſe videntur equi.
Urbs populum vix ampla capit : vicina colonis
    Rura vacant : minor eſt plebe premente locus.
Obvius it, ſponſumque Chori venerabilis ordo
    Suſcipit, & geminum cingit utrimque latus.
Turba affuſa ſacros ardet cognoſcere vultus,
    Et ſtupet, inque unum lumina fixa tenet.
Pars majeſtatem frontis miratur, & ingens
    Corporis hic, animi ſuſpicit ille decus.
Germanos alii, fucoque carentia laudant
    Pectora, gens tectos damnet ut illa dolos.
Utque animo Belgis ſimiles & origine linguæ,
    Utque regat populos una corona duos;
Denique ut Auſtriacæ faveat gens utraque ſtirpi,
    Proque novâ ſupplex ſidera prole roget,
Europæ quondam quæ finibus arceat hoſtes,
    Armaque trans Tanain & freta nigra ferat.
Ore rudis reſonant præconia talia vulgi :
    Alterius dictis quiſque quod addat, habet.
Præcipue pietas, & amor celebratur honeſti,
    Quique ardor fidei Præſulis ore micat.
Aſt alii, vulgo quibus eſt prudentia major,
    Omina fatidicâ proſpera mente canunt.

Quem

Quem Cæſar, quem Roma gregi præfecit alendo,
Paſcua cæleſti nectare plena dabit.
Noxia non ſerpent ovibus contagia noſtris,
A ſtabulis ſcabiem qui removebit, adeſt.
Hydra venenatos ſi tollat turgida rictus,
Victa dabit noſtro colla premenda pede.
Reſpice, quæ ſcuti ſub imagine teſſera ſplendet,
Intrepidi 2. certum pectoris omen habet.
Pro grege tutando rabiem non ille luporum,
Nec ſua vaſtantes rura timebit apros.
Armatus ferro paſtor, canibuſque, pedoque,
Deſpicit imbelles fortior hoſte minas.
Ibit cauta tamen firmo ſapientia paſſu,
Nec feret erranti vulnus inane manu.
Non minus hoc ſcutum, ſubſcriptaque teſſera ſplen-(det,
Pectoris indicium quæ ſapientis habet.
Omnibus aſpirat lucem ſapientia rebus,
Hac ſine propoſiti fructus inanis erit.
Cernis ut in bello noceat temeraria virtus?
Qui ſapit, hic vires dirigit arte ſuas.
Sæpius ex apto victoria tempore pendet:
Non juvat audentes quælibet hora manus.
Ipſe ſuos Fabius cunctando perdidit hoſtes,
Certaque victrices palma ſecuta moras.
Bello fortis erat, ſed erat temerarius Aiax,
Promptaque vulneribus dextera, mente carens.
Vincere non potuit Neptunia Pergama ferro.
Hector pro muro civibus unus erat.
Mœnia conſilio Troiana evertit Ulyſſes,
Armatâ Danaûm non capienda manu.
Scilicet ut Mavors, ſic Pallas præſidet armis:
Hæc dea conſilio; viribus ille valet.
Præcipites fortuna animos inimica repellit,
Eventuque caret vis rationis inops.
Qui bene direxit, certâ ferit ille ſagittâ
Currentem gyro liberiore feram. Nec,

2. *Teſſera Illuſtriſſimi ſcuto inſcribitur:* Intrepidè & Sapienter.

Nec, niſi quæ viſco prius eſt obducta tenaci,
Lenta reluctantem virga tenebit avem.
Vindice grex tanto felix! præſepia prædo
Ne turbet, ſapiens intrepiduſque cavet.
Colligit ex ſcuto prudentior iſta Senatus.
Paſcitur augurio quiſque, favetque ſuo.
Non opus augurio vati tua facta tuenti.
Fas mihi ſit Muſis pauca referre meis.
Intrepidum cautumque probant inſignia; ſed res
Antè probat: certa eſt rebus habenda fides.
Principibus carum ſapiens audacia fecit,
Participemque oneris te voluêre ſui.
Sæpius Europæ varias legatus ad aulas,
Creditaque eſt curæ publica cauſa tuæ.
Pruſſia te vidit regalia tecta 3. petentem,
Geſtaque ſucceſſu non caruiſſe liquet.
Te quoque, quantumvis alio ſub ſidere natum,
Legatum 4. ſtatuit terra Brabanta ſuum.
Illa viros, Carolo nova qui documenta referrent,
Deſtinat (haud parvæ res ea molis erat.)
Pacis, & exacti referenda negotia belli,
Quid faveat patriæ, quid noceatque ſuæ:
Quidque ſalus populi, quid relligionis avitæ
Gloria, fœderibus non minuenda, roget.
Eligitur quicumque operi fuit aptior illi,
Inter & electos ordine primus eras.
Ipſe peroranti Cæſar tibi præbuit aures,
Viſus & eſt nutu dicta probare ſuo.
Nempe tibi ſummis par eſt prudentia rebus;
Hâc hominum quævis pectora dote trahis.
Nec ſtudium tantis naturæ dotibus acre
Defuit, ingenium nec caret arte tuum.

Ars

3. *Ab Archidiœceſi Colonienſi delegatus fuit ad Regem Boruſſiæ, & ad varios Europæ Principes.*

4. *A Statibus Brabantiæ primo loco electus, ut patriæ negotia Cæſari coram exponeret.*

Ars juvat, & curis cultum vigilantibus addit:
    Splendidior rebus quæritur inde decor.
Terra ferax quamvis per ſe, tamen illa colendo
    Proventum meſſis fertilioris habet.
Vitibus & gravidos ſpondet cultura racemos,
    Et tumet attonſis plenior uva comis.
Utque nitet ſcabræ ferrum rubiginis expers,
    Cote quod aſſiduâ purgat, & igne faber;
Sic acies mentis limâ tenuante nitorem
    Accipit, ignavo non hebetanda ſitu.
Te juvenem ſchola diſcipulum Romana polivit,
    Difficiles flexus edocuitque 5. Rotæ.
Illic implexos didiciſti ſolvere nodos,
    Quidquid & ambiguum, quà patet, orbis habet.
Non leve tot variis onus eſt incumbere rerum
    Litibus : arbitrio res eget iſta gravi.
Inde redux patriæ cumularis honoribus, & te
    Magnificus ſocium gaudet habere 6. chorus.
Laurentîque domus 7. rectorem læta recepit,
    Vênit & à priſcis hoc tibi munus avis.
Deinde ubi deſeruit Rheni Paulutius oras,
    Ivit & ad ſedes, terra Polona, tuas,
Grande vacavit onus : (Latiâ legatus ab aulâ
    Miſſus erat) meritis 8. res data tanta tuis.
Jure igitur (nec enim ſcuto tua facta repugnant)
    Intrepidi titulum, res ubi poſcit, habes.
Jure etiam famam ſapientis geſta merentur,
    Et ſimul hac ſcuto ſtat ſua parte fides.
At tua cur lauro medii viret area ſcuti?
    Nempe dari doctis laurea ſerta ſolent.

Ac

5. Romæ annis aliquot ſtuduit in Rota, ad cujus tribunal difficillima ex quavis orbis parte quæſtiones ſolvendæ deferuntur.

6. Româ redux Capituli Colonienſis creatur Canonicus.

7. Præſes fuit Collegii Laurentiani : quod munus proavi ipſius à ſeculo Coloniæ obiverunt.

8. Miſſo in Poloniam, qui Nuntius Coloniæ Apoſtolicus fuerat, Eminentiſſimo nunc Paulutio, Nuntii partes Coloniæ Pontificis nomine implevit.

Ac velut intrepidos non ulla pericula frangunt,
Et pudet injuſtis cedere velle minis;
Sic Jovis irati feriant cum fulmina frondes
Quaſlibet, intactis permanet illa comis.
Virtuti geminæ lauri reſpondet imago,
Detur ut hac capiti fronde corona tuo.
Utque caret rugâ, tumidiſque in cortice nodis,
Verticis & grato ſemper odore viret;
Sic tibi dent vegetam ſuperi ſine labe ſenectam,
Dum tribuat vitam mors tibi tarda novam.

ELEGIA VIII.

Ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Dominum,

D. HENRICUM JOSEPHUM VAN SUSTEREN,

Brugenſem Epiſcopum.

O Quàm difficile eſt conſcendere culmen hono-
Quò via clivoſo vix patet arcta jugo! (ris,
Ferre per abruptos opus eſt veſtigia calles,
Aſperaque hirſutis prendere ſaxa rubis.
Ipſe labor multos & acuta cacumina terrent,
Ignavi primâ deficiuntque viâ.
Sola iter hoc ſuperat quæ tendit in ardua virtus.
Optimus huc tardo cogitur ire gradu.
Naſcuntur vates, Reges naſcuntur: ad ipſos
Sponte ſua Phœbus, ſponte corona venit.
Demite natales, nihil his ſublime manebit:
Fortunam cunis debet uterque ſuis.
Non ſic ferre ſolent natalia ſidera mitram;
Nîl hæc fortuitæ munera ſortis habent.
Crede mihi, multo decus hoc ſudore parandum.
Non venit ad ſegnes ſponte tiara manus.
Viribus & toto nitendum eſt corpore, rupis
Ex humili ſi quis valle cacumen adit.

Et

Et nihil hìc natura juvat; quæ pondere semper
    Ipsa suo præceps fertur, & ima petit.
Non prodesse parū est; tardat quoq;: gurgite remos
    Luctantes rapidis curvat ut amnis aquis.
Pronus ut adverso nitens Aquilone viator
    Sæpe gradum sistit, sæpe retentat iter:
Sic meritis quæ vitta comis, Henrice, coruscat,
    Hæc tibi non parvo parta labore venit.
Ut taceam claris de tot virtutibus, ad quas
    Per varios pietas est tua ducta gradus:
Alta priùs dicam quot sidera nutriat æther,
    Ver frondes, æstas gramina, bruma nives,
Quotque vagum densis agitetur fluctibus æquor,
    Turbantur valido cum freta summa Noto;
Quàm tua quot variæ versarint pectora curæ,
    Aula tuam quando sacra poposcit opem.
Ipse tibi 1. Humbertus, Mea suscipe munia, dixit,
    Longa dies humeris invidet illa meis.
Jam mea consumpta est annis fugientibus ætas,
    Vixque movet tardos curva senecta pedes.
Quem senium tolerare negat, succede labori,
    Dum tua vernanti tempora flore virent.
Suscipe materiam mitræ meritumque futuræ.
    Nunc re: pòst etiam nomine Præsul eris.
Dixerat Humbertus. Præsagia vera probavit
    Quod missum capiti vênit ab urbe decus.
Non hoc augurium percussi viscera tauri,
    Non avium linguæ, pennave dextra dedit.
Omina priscorum valeant fallacia vatum.
    Quis credat volucres regna negasse Remo?
Credibile est ipsos hìc insanisse poëtas.
    Certius ætheriis moribus omen inest.
Certius ingenio, variis quod reddere cultum
    Artibus, una tibi cura laboris erat.

Cer-

1. *Illustrissimi Humberti à Precipiano Archiepiscopi Mechliniensis factus est Vicarius Generalis.*

Certius omen habet par rebus pectus agendis,
Miraque quæ blandâ gratia fronte ſedet:
Et ſemper vigiles ad denſa negotia ſenſus,
Et mens nativæ ſimplicitatis amans.
Longum opus eſt vati rerum percurrere ſummam,
Ordine ſi referam cuncta; volumen erit.
Sat mihi de multis paucos decerpere flores,
Ut detur capiti digna corona tuo.
Ergo ubi colla oneri data ſunt, ſacrique ſenatûs
Impoſita eſt humeris ſarcina tota tuis;
Protinus implexas tua cura Vicaria lites
Evolvit, demptâ compoſuitque morâ.
Ardua ſpe citius cepêre negotia finem,
Sedulitaſque operis grande levamen erat.
Pars fidei quoque victa tuæ præconia fecit,
Nec judex, ſibi quem poſceret, alter erat.
Nec mirum: gemini tibi nota volumina juris,
Quidque vetet legum pagina, quidque probet.
Te ſchola perfectum Grudiis eduxit Athenis,
Impoſuitque tuis laurea 2. ſerta comis.
Ante tamen dubii ſubeunda pericula martis,
Ante boni pugilis more probandus eras.
Vidimus intrepidum mediâ te ſtare palæſtrâ,
Juraque nodoſi ſolvere plexa fori.
Cumque tot armatis petereris vocibus unus,
Inque tuum rueret docta procella caput;
Viſa loquor: ſtupuêre graves reſponſa Magiſtri,
Quæ celer, & dempto prompta timore dabas.
Tantaque reſponſis aderat facundia, libro
Crederet ut quivis cuncta patente legi.
At poſtquam luctæ poſuit victoria finem,
Oſcula dat dextræ læta corona tuæ.
Nec tantum ex iſta rediiſti victor arenâ,
Nec tantum palmam juris utramque tenes.

S Altiùs

2. Juris utriuſque laureâ Lovanii donatus.

Altiùs erexit divina ſcientia mentem,
Et trita eſt manibus pagina ſacra tuis.
Et geminæ patuêre tibi diſcrimina legis,
Ut nova lex animet, litera priſca necet.
Ut pueris nunc plaga, pudendaque vulnera ceſſent,
Et vetus affusâ noxa lavetur aquâ:
Unaque ſacrificos abolerit ut hoſtia cultros,
Quæ pretium tauri ſanguine majus habet:
Et tandem ut veteri nova lux ſucceſſerit umbræ,
Abſtuleritque jugum triſte timoris amor.
Denique quæ priſci cecinêre oracula vates,
Et quidquid Fidei Roma magiſtra docet,
Omnia ſunt adaperta tuæ penetrataque menti:
Abdita res aciem non fugit ulla tuam.
Quatuor & ſtudio vigilatis meſſibus iſto,
Altera victrices vidit arena manus.
Hìc quoque certatum eſt, & aperti prælia martis
Impoſuêre tuis 3. altera ſerta comis.
Quid memorem reliquas exculti pectoris artes?
Quas gravis eſt cunctas enumerare labor.
Nam ſive orator vitiorum germina tollis,
Eloquio pectus, voxque, manuſque favet.
Seu patriæ Latiæve tonat facundia Linguæ,
Non minus hic illo ſermo nitoris habet.
Prô Superi! quanto tua vox excepta favore,
Ingens cum ſpecies orbis in urbe fuit.
Priſca recurrebat divini pompa cruoris,
Ætas Bruxellis quam videt una ſemel.
Hoſtia cum rubuit judæâ ſaucia ſicâ,
(Mira, ſed horrendi criminis acta loquor)
Vulnere de cultri guttæ cecidêre cruentæ:
Corporis hæc Domini ſigna latentis erant.
Eloquio quæ dum celebras portenta Latino,
Haud alio potuit Tullius ore loqui.

Et

3. *Theologiæ ibidem operam dedit annis quatuor, eamque publicis Theſibus defendit ſumma cum eruditionis laude univerſam.*

Et tua de Caroli facundia Præſulis actis
Erexit tanto digna tropæa viro.
Qui celebras ſanctos, facient imiteris ut illos,
Quoſque colis, ſimili te pietate colent.
Et poteras Phœbumque ſequi, doctaſque ſorores,
Et poteras numeris nectere verba ſuis.
Obſtitit ingenium curis gravioribus aptum,
In quibus utilitas carmine major ineſt.
In pretio fuerant olim, nunc carmina nullus
Æſtimat, & priſco Phœbus honore caret.
Vatibus & dare materiam, quam ſcribere, mavis.
Tu facis : hi venâ facta favente canant.
Te prodeſſe magis quam delectare volentem
In ſua divinus caſtra retraxit Amor.
Ille tibi, vacuum ſpectans ſub imagine ſcutum,
Aurea ſcripturo verba notanda dedit.
Ille tibi (ut 4. proſim) clypei ſit teſſera, dixit:
Moribus & vitæ convenit illa tuæ.
Utilius nihil eſt, nihil eſt præſtantius illâ;
Par tibi cælitibus conferet illa decus.
Hæc tetigit quoq; cura Deum: neq; condere mundũ
Majus opus, lapſum quam relevare, fuit.
Numine (crede mihi) res digna eſt, velle juvare.
Ut proſit, nomen mite parentis habet.
Hoc eſt cur cælo miſeri ſua brachia tollant,
Hoſtiaque ardentes cur cadat ante focos.
Finge, precaturis ſuperos ſuccurrere nolle,
Nec pia qui templis thura det, ullus erit.
Numinis exemplo lapſis impenſa poteſtas
Pandit iter cælo, ne pereantque, facit.
Mole graves ſcelerum Deus allicit, & vocat ultro,
Et facilem, dempto pondere, ſpondet opem.
Crudeles medici ! quorum inclementia vexat,
Non levat immiti vulnera parva manu.

4. *Scuto ſuo Illuſtriſſimus dignam ſe teſſeram inſcripſit :* Ut proſim.

Quid juvat in longum pœnam protendere tempus?
    Ah satis est culpæ par sit ut illa suæ.
Sed tamen interdum partem rescindere ferro
    Est opus; intactas ne putris una trahat.
Ars aliis alios herbis juvat : omnibus una
    Infirmis detur si medicina, nocet.
Lenis, & asperior, diversis utraque morbis
    Convenit : hæc studio res agitanda gravi.
Non ullis opus est stimulis tibi : respice scutum.
    More Dei mites suadet habere manus.
Exigit ut prosis : nec enim tibi purpura sumpta est,
    Splendidus ut populo conspiciendus eas.
Tolle graves mitræ curas & mille labores,
    Quid, nisi Pontificis nomen inane, geres?
Quo tibi tot dotes? quo parta scientia? si non
    Fontis inexhausti pectora more riget?
Sed citius ramos nudabit frondibus æstas,
    Et minor æstivâ nox hiemalis erit,
Pomaque ver matura feret, feret æquor aristas,
    Alpibus & summis navita vela dabit;
Quam miseris surdas pietas tua præbeat aures,
    Et sibi, quam poscunt, deesse querantur opem.
Pastor ut intrasti dilectæ mœnia Brugæ,
    Qui nova sentiret commoda, clerus erat.
Arserat infelix discordia litibus orta,
    Arbitrio partes mox coiêre tuo.
Pax animis rediit, rediit concordia læsis,
    Et victor pulsâ lite revixit amor.
Otia dein tollis, dignusque altaribus ardor
    Fervet, conventu tecta profana carent.
Sacra nitet gravitas, casti sine crimine mores,
    Exemplo similes quos facis esse tuis.
Nec minus indociles vindex censura coërcet,
    Ipse tamen vultum terror amantis habet.
Judicis officium patris conjungis amori,
    Plusque metus pœnæ, quam data pœna, juvat.

Aspice

Aſpice cæleſtes : ira eſt moderata deorum,
    Nec celeri ſontes plectere morte ſolent.
Jupiter interdum ſceleratos fulmine terret,
    Et grave vicino comprimit igne ſcelus.
Turbida cum multæ decurrant æquora naves,
    Non tamen has omnes cæca procella premit.
Ut vitent ſcopulos aliæ, Neptunus in unam
    Sævit, & exemplo cautiùs ire monet.
Et tua, quantumvis juſtas, clementia vires
    Temperat, in longas protrahiturque moras.
Tunc quoque, cum commiſſa gregis tibi cura tuendi
    Exigit, invito fulminat igne manus.
Ad pœnas lentus properas, ad præmia velox:
    Mortales ſuperis res facit iſta pares.
Palladias etiam, nova tecta, ſtudentibus ædes
    Conſtruis; unde frequens vivat alumnus habet.
Doctus ut es, doctos pariter tua cura miniſtros
    Efficit : ignavos reſpuit illa domus.
Nec te mæcenas artes ſtudioſiùs alter
    Excolit, & ſtudiis, ingeniiſque favet.
Vidi ego, ob inſcriptos parvâ tibi mole libellos,
    Prœmia munificæ qui retulêre manûs.
Uſque adeò minimos generosâ mente labores
    Provehis, & ſtimulis pectora tarda moves.
Utque fidem vindex, Romanaque jura tueris,
    Sic, ne quem fallat perfida turba, caves.
Duxque repugnantûm, quem mors funeſta rebellem
    Abſtulit, ante tuo vulnus ab enſe tulit.
Ille quidem elapſus perfracto carcere fûgit;
    Scripta tamen per te ſeditioſa patent.
Criminaque abſentis ſententia digna ſecuta eſt,
    Teque probante reum conſcius orbis habet.
Oſſa gravat tellus aris inimica Latinis.
    Dignior hoc tumulus funere nullus erat.
Gratia ſit ſuperis : quot Belgica terra tiaras,
    Tutores totidem relligionis habet.

Nec tantum cleri, populi quoque commoda curas,
Nec tibi diſcrimen dives, inopſque facit.
Omnibus æquali Præſul ſuccurris amore,
Grexque tui partem pectoris omnis habet.
Vidimus addictos 5. ob publica crimina morti
Hortatu ſcelerum pœnituiſſe tuo.
Solus eras, animos poteras qui flectere : ſolus
Spes deſperatis una ſalutis eras.
Crimina præbebas numeroſa fatentibus aures,
Culpaque Pontificis voce ſoluta fuit.
Nec tua fœdata eſt tetri de ſordibus antri
Purpura : ſplendorem carcer & umbra dedit.
Quiſquis in ingenti miſerabilis urbe recumbens
Te cupit, alloquio paſcitur ille tuo.
Deliciæ tibi ſunt, inopem per compita plebem
Viſere, & in tenues munera ferre caſas.
Nempe memor ſcuti cunctis prodeſſe laboras,
Atque animis pariter, corporibuſque faves.
Perge gregem ſanctis animare laboribus, & te
Officii numquam grande fatiget onus.
Perge boni partes explere Antiſtitis omnes,
Curaque ſupremum finiat iſta diem.
Quo plures tua dextra animas tranſcribet olympo,
Hoc tua poſt cineres gloria major erit.

5. Publicæ morti addicto, & nemini præterquam Epiſcopo conſcientiæ arcana aperire volenti, aures in carcere Illuſtriſſimus præbuit, & ad felicem, ut ſpes eſt, æternitatem Sacramenti virtute præparavit.



ELE-

ELEGIA IX.

Ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Dominum, D. JOANNEM BAPTISTAM DE SMET, Iprenſem Epiſcopum.

QUalis caſta novo procedit ſponſa marito,
Candida purpureo conſpicienda ſinu,
Lucida cui flavos diſtinguit gemma capillos,
Artificis doctæ quam poliêre manus;
Talis in occurſum propera caſtiſſima ſponſi,
Lætus ad amplexus qui venit, Ipra, tuos.
Hei mihi mœſta diu, longiſque exhauſta querelis,
Turturis, amiſſo compare, more gemis.
Qui te deſeruit, qui 1. Gallica regna petivit,
Ille tibi juſti cauſa doloris erat.
Ferre moras poteras, tantum rediturus abiſſet.
Dilatus modico tempore creſcit amor.
Quot deſiderii ſtimulis agitantur amantes,
Crede mihi, totidem ſunt in amore faces.
Nunc tibi deſertæ ſolatia nulla ſuperſunt:
Diſcedens reditûs ſpem tulit ille ſui;
Æternumque vale miſeræ tibi dixit amanti,
Nec quidquam, de te quod quereretur, erat.
Eſt aliud, thalami quod vincla tenacia rupit;
Vera tibi ſubitæ cognita cauſa fugæ.
Sed tamen invitus carâ procul urbe receſſit,
Sunt quoque qui lacrymas continuiſſe negant.
O quoties ſuperos, novus ut ſuccederet illi
Sponſus, thuricremis es venerata focis!
Vota Deum tetigêre: novus tibi gaudia Præſul
Attulit: & felix, ſi ſupereſſet, eras.

1. *Ereptâ Gallis Iprâ, Illuſtriſſimus Rattabon, abdicato Iprenſi Epiſcopatu, in Gallias, patriam ſuam, diſceſſit.*

Heu rapitur 2. fato! rursus lugubria sumis,
Et veteres luctus mors inopina gravat.
Pulsa fatigato suspiria denique cedant
Pectore: qui maneat jam tibi fidus, adest.
Illum nec cita mors, fuga nec subducet amanti,
Servabit stabilem cana senecta fidem.
Hic patriæ consorsque tuæ, linguæque peritus,
Notaque Flandrorum pectora Flander habet.
Candida gens, fastuque carens, inimicaque fraudi,
Nec sua quæ refugit prodere sensa palam.
Quod patriæ natura dedit, quoque contulit illi,
Pars dispar populo non erit ille suo.
Est aliquid stellis natos spirare sub iisdem:
Illecebras patrium sidus amoris habet.
Hoc facit ut Belgæ Belgas, Hispanus Iberos
Diligat, utque Afros concolor Afer amet.
Scilicet in mores cæli concordia transit,
Dissimilesque animos lux peregrina facit.
Sed tamen hæc minima est pellendi causa doloris.
Ad dotes sponsi respice sponsa tui.
Major ab his famæ surget tibi splendor, & ingens
Hinc tibi laus seræ posteritatis erit.
Ille vetet quamvis, digitoque silentia vati
Suadeat: hac una parte rebellis ero.
Est sua libertas Musis, ægrèque tenentur.
Qui rapit has, cælo spiritus ille venit.
Humanis cælum imperiis parere recusat,
Pegasus & toto liber in orbe volat.
Impatiens nullis cervix retinetur habenis,
Sessores tergo vix capit ille deos.
Impetus Aöniis audax hauritur in undis,
Qui bibit ex illis fontibus, ille furit.
Quo magis ignoscas, mea si tibi Musa repugnet,
Me rapit, & juris non sinit esse mei.
Ardet ut in cursus, & lora morantia tendit,
Apri vicino tactus odore canis; Ac

2. *Successor Rattabonii Episcopus immaturo Iprensibus fato ereptus fuit.*

Ac velut accipiter visâ ſub nube columbâ
Emicat, & celerem præda fameſque facit;
Sic data materies vatem facit eſſe diſertum.
Abſit factorum gloria : mutus ero.
Adde quod hoc ipſum ſua quod præclara referri
Facta vetet, meriti pars ſit habenda novi.
Quo magis invitum decorat laus, dignior illâ
Redditur, & tanto plus mihi vocis erit.
Qui refugit, magis irritat præconia famæ:
Laudari nimium qui cupit, ille vetat.
Nondum bis decimum juvenis compleverat annũ,
Ingenii ſpecimen cum dedit ille ſui.
Principium felix! à quo ventura notari,
Perque gradus ſenſim creſcere facta ſolent:
Sic quæ vere novo pubeſcit floribus arbor,
Fructibus autumno ſtabit operta ſuis.
Clara ſecuturæ ſic ſpondet tempora lucis,
Dum roſeo mater Memnonis ore nitet.
Lovanium (priſcis ſtudio quod certat Athenis)
Undique collecto flore juventa venit.
Ne referam Batavos, & quos vicinia Gallis
Jungit, ab Hiberno litore multus adeſt.
Ipſa ſuos etiam Germania mittit alumnos,
Quoſque ſuo nutrit Belgica terra ſinu.
Prœmia victorem, ſtudio qui præterit omnes,
Ampla manent: magnũ prœmia calcar habent.
Intento mentis certatur acumine: cura
Illa ſibi noctes vindicat, illa dies.
Laurea non operâ facili, neque vallibus imis
Carpitur: è ſummo eſt illa petenda jugo.
Mille opus eſt ſeptos caligine ſolvere nodos;
Non vetus ambages tot labyrinthus habet.
Area ferveſcit: palmæ rapiuntur amore:
Qui poterit curſu vincere: Primus erit.
Non aliter totis velox ad prœmia nervis
Tendit olympiaco carcere miſſus equus.
Vin-

Vincere seſſores avidi calcaribus urgent,
Verbereque aſſiduo torta flagella ſonant.
Inter tot celeres metam prior occupat unus,
Claraque pernici gloria cedit equo.
Ipra vides? tuus ille volans ſupereminet omnes,
Ambit 3. victrices palma relata comas.
Magnus honor primi titulum famamque referre,
Ingenioque ſibi non reperire parem.
Rumor, ut eſt velox, vicina per oppida fertur,
Victor adeſt: comitum pompa ſuperba præit.
Quælibet urbs magno venienti occurrit honore,
Aurea natali munera dantur humo.
Flandria victori gaudens gratatur alumno,
Et partu nutrix illa ſuperba ſuo eſt.
Hæc olim ingenii Præſul tuus, Ipra, capacis
Signa dedit: reliquum reſpice ſponſa decus.
Curia venturos illi ſpondebat honores,
Si vellet patrio jus aperire foro.
Munia deſpexit mundi ſplendentia faſtu,
Quæ laqueos vitæ liberioris habent.
Ergo ubi diſcipulis naturæ arcana magiſter
Expoſuit, mentes inſtituitque rudes,
Altior humanis animus cæleſtia cœpit
Volvere: plus illic, quo traheretur, erat.
Non rapit hic ardor vitiorum mole gravatos,
Quos humili vinctos compede terra tenet.
Criminis expertem divina ſcientia mentem
Poſtulat: impietas, ne capiatur, obeſt.
Alcides domuitque feras terrenaque monſtra,
Pòſt humeris cælum grande pependit onus.
Non hæc de nihilo veteres finxêre poëtæ:
Accipe quid doctâ fabula nube tegat.
Non niſi calcatis in cælum ſenſibus itur,
Quolibet hi monſtro plus feritatis habent.

Abri-

3. *Emenſo Lovanii Philoſophiæ curriculo, renuntiatus eſt* Primus.

Abripiunt, falluntque animos, & crimine durant,
Cæcaque cælesti pectora luce carent.
Hinc satus est Error; cervix hinc nescia flecti,
Mensque ferox nullis legibus apta regi,
Scissaque relligio, capitique rebellia membra.
Hæc sunt Herculeâ monstra domanda manu.
Viribus hic opus est, opus est ferrique, facisque
Vulnere, ne damno germinet Hydra suo.
Cerberus hic cervice triplex, hic cornua tauri,
Arcadiusque furens dente timendus aper.
Hic est Antæus, sævi hic Busiridis aræ,
Hic pasti humano sanguine Thraces equi,
Centaurique truces, & cæsus ab Hercule Nessus,
Et quascumque manu perdidit ille, feræ.
Non hos humanis Alcides viribus hostes
Perculit : è cælo Jupiter arma dedit.
Cum fera Cælitibus moverunt bella Gigantes,
Quis nescit telo succubuisse Jovis?
Illi terribiles, & adhuc à clade minaces,
Nequidquam Ætnæo fulgur ab ore vomunt.
Ipra tuus pridem penetravit in æthera sponsus,
Sidera terrenæ nîl ubi cladis habent.
Illic arma sibi 4. cudit cælestia : scuti
Margine quæ legitur tessera sculpta sui.
Arma rogas quæ sint? sunt digni Præsule mores,
Nudaque simplicitas, candor & arte carens,
Tantaque dicendi facundia, nullus ut illi
Cedere (sit saxo durior ille) neget.
Sæpe perorantem stupuit Bruxella, prementis
Concursum populi non capiente loco.
Quisque avidus proprii 5. pastoris ab ore pependit
Pabula suspenso cum dabat ille gregi.

Nec

4. *Scuto suo Illustrissimus hanc inscripsit tesseram :* Cælestia cudit arma.

5. *Plebanum S. Gudulæ agens Bruxellis omnium animos rapuit mirâ morum suavitate, & soliditate doctrinæ.*

Nec placuit tantum; movit quoque: fulgor & ignis
Gratiaque in vultu tanta loquentis erat.
Adde parem verbis fructum: correcta vetustas
Criminis, & vitæ semina jacta novæ.
Quilibet audito melior sermone redivit,
Ex dictis mores composuitque suos.
Quanto major inest, graviorque potentia linguæ,
Infula dicentis cum premit alta caput?
Verba magis penetrant, doctrinaque Præsulis urit,
Et majestatis singula pondus habent.
Hanc pridem Humbertus virtutẽ ut novit; Alumnis
Ille meis, dixit, præficiendus erit.
Urbe ingens mediâ domus est; ubi sacra juventus
Hospita communi vivere lege solet.
Illa ministerio templi formanda futuro,
Præsidis arbitrio cuncta regentis eget.
Quo simul intravit 6. juvenum rectorque, paterque,
Omnia sunt faciem visa novare suam.
Illius adventu Pietas cum Pallade juncta
Cælestem tectis imposuêre pedem.
Composuit mores habitumque Modestia; & urbi
Exemplum placuit quod dedit una domus.
Non illic somni damnosa licentia regnat:
Mensuram justæ quisque quietis habet.
Primaque cum radiis aurora retexerit orbem,
Non confusa novæ tempora lucis eunt.
Ordine quæque suo, præscriptaque lege geruntur,
Per varias artes dividiturque dies.
Temporibus certis festas cantatur ad aras,
Linguaque concordes temperat arte sonos.
Temporibus certis superos & Numen adorant,
Et precibus, solo corde loquente, vacant.
Nunc discenda suas facundia postulat horas:
Unius ad vocem cetera turba silet.

Ille

6. Seminarii Archiepiscopalis Mechliniæ ab Illustrissimo Humberto à Precipiano constitutus est Præses.

Ille movet dictis animos, moresque profanos
Increpat erudiens, eloquioque tonat.
Quod superat tempus studiis datur: otia nullam
Quam perdant partem segnia lucis habent.
Hæc sunt arma viri cælestia: vincitur illis
Tartarus, obscœnum quidquid & Orcus habet.
His sibi commissos armis instruxit alumnos,
His docuit, vitium quâ queat arte premi.
His rapuit mentes, & iter patefecit Olympo.
Sublimes nullâ compede terra tenet.
Hunc meriti cumulum Româ Caroloque probante,
Virtuti pretium mitra pedumque datur.
Cumque ex præteritis fas sit præscire futura,
(Augurium quo non certius esse potest)
Non ego, sed rerum spondet tibi fama priorum
Commoda, quæ sponsi dotibus, Ipra, feres.
Non opus ad nostras rumor quæ pertulit aures
Dicere, quæque palam certior ipsa vides:
Instruat ut festis populum sermone diebus,
Ardentes animis subjiciatque faces:
Ut pueros oleo vicina per oppida tingat,
Firmet & in Latiâ millia multa fide.
Sæpe opus hoc illum, primo cum lumine cœptum,
Solis ad occasum continuasse ferunt.
Sæpe labore dies brevior fuit: astra micabant,
Frontibus hic fessas imposuitque manus.
Nempe amor immemorem rapuit somniq;, cibique.
Tanta illi tenero pro grege cura fuit.
Hoc ardore sibi summos devinxit & imos,
Hoc sponsam merito nomen amantis habet.
Ductoresque virum Batavi venerantur, amantque,
Milite qui servant mœnia nostra suo.
Venerat occidui visurus litora ponti,
Urbs ubi nuda suis mœnibus orba patet.
Olim dura capi murorum mole situque,
Belligerasque sinu mittere prompta rates.

Ipsæ

Ipſæ Nereides, pater & Neptunus, in alto
Arcem vix poterant credere ſtare mari.
Diruta nunc tota eſt : portus vallatus arenâ
Stagnat, & egreſſum puppibus unda negat.
Litoris oppoſiti lugendæ cauſa ruinæ
Invidia eſt : dominam noluit eſſe maris.
Præſulis adventûs it nuntia fama per urbem:
Lætior hâc populo non fuit ulla dies.
O quanto Dunkerka virum complexa favore!
Omnibus è cælo viſus adeſſe fuit.
Obvia paſtori longo plebs ordine vênit,
Conſortem patriæ læta videre ſuæ.
Gallica ſternuntur vexilla in limine primo,
Stabat & armatâ miles utrimque manu.
Strata ſuper graditur, nec humum veſtigia tangunt,
Æraque de ſumma concava turre ſonant.
Rarus honor, majorque dari vix Regibus ipſis,
Mœnia victores cum ſubiêre, ſolet.
Ipra dato ſuperis referas pro Præſule grates;
Grandius à cælo munus habere nequis.
Ac veluti fidum toto tibi ſpirat amorem
Pectore; ſic illum, ſicut amaris, ama.
Et procul à thalamo fallax abigatur adulter.
Mille habet inſidias, mille latenter habet.
Illius occultum diffundunt verba venenum.
Cognita vox ſponſi ſit tibi ſola tui.
Sectaque quæ dominæ cervicem flectere Romæ
Abnegat, illa tibi peſtis habenda loco.
Sic te Præſul erit dignus, tu Præſule digna,
Stabit & optatâ mutua pace fides.

ELEGIA X.

AD UNIVERSOS BELGII EPISCOPOS.

O Decora! ô noſtri clariſſima lumina ſecli!
Belgarum per quos ſtat ſine labe fides.
Nobile depoſitum vobis quod credidit æther,
Tollet ſacrilegâ nulla rapina manu.
Non ſi Tartareis in vos ruat impia monſtris
Styx, & vipereis ipſa Megæra comis.
Mitra viros fortes generoſaque pectora nutrit,
Proque grege intrepidos, non timidoſque mori.
Hoc Deus, hoc fidei vertenda pericula noſtræ,
Hoc petit Auſoniæ relligionis amor.
Hoc decor officii, quo non ſublimius ullum,
Exigit. Ite, piâ bella movete manu.
Dum junctis ad caſtra armis animiſque venitis,
Hoſtiles acies, Tartaraque ipſa tremunt.
Non everſa levem promittunt impia fructum
Agmina : victores prœmia magna manent.
Nomina Pontificum rutilabunt æmula ſtellis,
Qui ſibi commiſſis cauſa ſalutis erunt.
Impoſita eſt humeris animarum ſarcina veſtris,
Ingens quo gravius non habet orbis onus.
Magnum animæ pretium : non hanc ſibi ſanguine (Chriſtus
Credidit indignum conciliaſſe ſuo.
Exemplumque dedit paſtoribus : ipſe redemit,
Ipſe, Meas vobis paſcite, dixit, oves.
Pectora quot ſtimulis ea vox cæleſtibus urget!
Paſcere quam gravis eſt, perpetuuſque labor!
Mille onus eſt operum : neſcit bonus otia paſtor,
Præteritæque dies quæque quod addat, habet.
Poma quot autumnus, ſegetes quot parturit æſtas,
Et quot florilegæ vere vagantur apes;

Veſtra tot exercent operoſæ pectora curæ.
Nulla quieſcendi tempora Præſul habet.
Ungere nunc opus eſt ſcabiem, ſubjectaque lanæ
Tubera, ne ſerpens viſcera virus edat.
Nunc poſcit nitido languens pecus amne lavari,
(Sæpe laboranti profuit unda gregi)
Nunc opus eſt clamore lupos canibuſque fugare,
Nunc ſtabulis plenâ pabula ferre manu:
Et modò balantem per opacas quærere ſilvas,
Si procul incertam duxerit error ovem.
Nec pigeat paſtorem humeris ad ovile referre,
Si qua ſub ardenti languida ſole jacet.
Sæpe etiam geminant aliena pericula curam,
Ne mala vicinam deferat aura luem.
Haud labor exiguus contagia pellere morbi:
Occultâ pecori tranſitione nocent.
Gallica quis neſcit geminæ mala ſemina peſtis?
E quibus hæc animam, corpus at illa necat.
Utraq; grande malũ: nocet hæc, nocet illa: timenda
Utraque: plus tamen hâc illa furoris habet.
Quippe animæ gravior mors eſt quam corporis: illud
Interit; hanc pejor funere vita manet.
Mille ſubit mortes, totidem vitaſque reſumit,
Et cuperet verâ poſſe perire nece.
Nulla quies, finiſque mali: mens ſemper acerbum
Vulnus, quo numquam conficiatur, alit.
Hoc eſt quod Tityi vultur, morſuque renaſcens
Indicat, ut pereat, ne pereatque jecur.
Hoc notat Ixion, dum ſe ſequiturque, fugitque,
Suppliciumque rotæ fine carentis habet.
Gallia jam gaudet ceſſare pericula peſtis
Unius: alterius jam prope finis adeſt.
Illam corporibus medicorum cura fugavit,
Hæc gladio Regis, Pontificiſque cadet.
Ipſe Deus cœpit convertere corda reorum,
Perficietque ſuum dextra potentis opus.

Nannetum 1. rediit ; positâ cervice rebelli
    Nectuntur capiti membra revulsa suo.
O utinam exemplo reliquos ad ovile reducant,
    Perfidiæ primos quos habuêre duces!
Si redeant, læsamque fidem reparare laborent,
    Gloria præterito crimine major erit.
At si quem retinent damnatæ vincula Sectæ,
    Major erit veteri crimine culpa recens.
Nam cadere humanum est; sed detestabile, nolle
    Surgere : nîl illo pejus Avernus habet.
Ne peregrina lues patriæ contagia spiret,
    Præsulibus debet Belgica terra suis.
At te, qui mitræ reliquos præcellis honore,
    Præcipuæ titulum laudis habere liquet.
Ut vincant alii, vires pugnantibus addis,
    Certaque Præsulibus te duce palma venit.
Ut nihil his obstet, nec inania fulmina mittant,
    Provisum est curæ sedulitate tuæ.
Pars sua quemque tamen laudis, partique triumphi
    Respicit, ut partem quisque laboris habet.
Hinc vati data materies. Ignoscite, vestris
    Inferiùs meritis si rude carmen eat.
Non ego sum, qui vestra pari præconia versu
    Assequar : infirmum grande fatigat onus.
Aut operæ præstate minus : vel, si nova semper
    Additis, æquari gloria vestra nequit.
Vincitis : en superata silet, citharamque reponit
    Calliope : vinci nec sibi turpe putat.
At si fortè meæ vitent oblivia Musæ,
    Nomina posteritas, factaque vestra leget.
Quidquid erit, vatis tamen officiosa voluntas
    Ausa est exiguo magna referre sono.
His alii meliora canant : me cana senectus
    Tardat, & ætatis pigra coërcet hiems.

1. *S. Facultas Theologica Nannetensis instrumentum appellationis revocavit, & Constitutioni Unigenitus universæque Ecclesiæ glorioso se exemplo subjecit.*

EMINENTISSIMO
AC
REVERENDISSIMO DOMINO
D. THOMÆ PHILIPPO
S. R. E.
PRESBYTERO CARDINALI
DE ALSATIA DE BOUSSU
ARCHI-EPISCOPO
MECHLINIENSI
BELGII PRIMATI, &c. &c.

Cùm præcipuum ex Cardinalitiæ Dignitatis insignibus, Biretum scilicet Purpureum à S. D. N. D. Clemente XI. missum Mechliniæ reciperet, Cardinalitiam Dignitatem gratulatur nomine Provinciæ Flandro-Belgicæ Societatis Jesu Livinus Meyerus.



Minentem Ecclesiæ Purpuram, & parem meritis Dignitatem summis Tibi infimisque communi gaudio gratulantibus, Eminentissime Princeps, submissâ veneratione accedimus clientes omnium minimi. Ecquis enim, nisi aut ex-

cors

cors omnino, aut invidus, taceat, dum vox mundi sonat? Omnes jure oportet participes esse lætitiæ, quando ad omnium commoda, communemque animarum & Patriæ salutem Tua se inclinat Sublimitas. Ne verò ab hoc communi obsequio, & à nobis præsertim multis titulis debito, retardemur novæ percussi fulgore Dignitatis, facit innata comitas Tua, & singularis humanitas, quæ splendore Purpuræ non minuitur, sed augetur: quæque est tanta, ac tam benigna, ut nos, tenuitatis meritò conscientiâ territos, ultrò ad accessum alliciat, atque invitet. Quâ re nullâ aliâ ad Divinitatis similitudinem quamdam magis acceditur. Hæremus tamen ipso in limine, incerti, quid in tanta rerum, quæ in Te lucent, sublimium copia, primum ac potissimum admiremur. Tibi soli gratulentur alii; liceat nobis, & Tibi pariter gratulari & Purpuræ: utpote quæ non magis Te ornat, quàm à Te ornatur.

Jam si ad domestica, quæ Te circumstant, Generis & Prosapiæ decora respiciamus, hærendum nobis est denuo. Etenim Natales Tuos Illustrissimos, tacenti-

bus nobis, Historia loquitur, Orbis novit. Neque ignorat præclara non minùs, quàm antiqua Familiæ ornamenta, & heroica facinora Proavorum. Ac ne omnia (quamquam ita optante Te) taciti prætereamus; omnes meritò suspiciunt longâ retrò serie Comites de Boussu augusto Aurei Velleris Ordini quâdam hereditariâ bene de Patria merendi successione adscriptos. Quo virtutis nobilissimæ præmio, post defunctum ejusdem Ordinis Parentem Tuum, à Carolo II. æternæ memoriæ Rege nostro Clementissimo decoratus jam pridem fuit Carolus Ludovicus Frater Tuus superstes Princeps Chymiacensis: qui, uti in ceteris omnibus, ita hâc etiam parte præclarè tuetur ac sustinet nominis & Generis sui dignitatem.

Laudes Tibi proprias, multas ac præcellentes, Eminentissime Princeps, operosè hic recenseri modestia Tua non patitur. Mavis enim (quod rarum est) solâ atque occultâ conscientiâ lætari bene factorum. Quâ quidem animi moderatione hoc ipsum consecutus es, ut nulla jam Te materia laudis prætereat. Omni quippe, inter mortales, præconio majus, omni virtute sublimius

mius eſt, laudem mereri ab omnibus, & laudari nolle. Hoc verè Chriſtiani pectoris decus, & gentilis olim ignoravit Philoſophia, & præſentis ſeculi faſtus haud ſatis aſſequitur. Sed hoc interim parta meritis gloria cum radiis Solis habet commune, ut (quantumvis invita) ſuâ ſe ſemper luce manifeſtet. Ea certè, quæ Summus Eccleſiæ Paſtor & Auguſtiſſimus Cæſar ſingularia planè de Te pridem tulerunt judicia, nec taceri debent ob Teſtium Majeſtatem, nec poſſunt ob veritatis lucem abſcondi, nec ob ſui celſitudinem morſibus arrodi invidorum. Orbis quippe Capita nec adulari ſolent, dum laudant; nec decipi, dum cognoſcunt: quorum perſpicaciam nihil latet, candorem nihil obfuſcat, nihil extenuat præconii veritatem. Patere igitur, Princeps Eminentiſſime; ut ea, quæ utriuſque Supremæ Poteſtatis oraculo ſcripta de Te ſunt teſtimonia, agnoſcat Orbis, præſentes legant, poſteri mirentur.

Clemens XI. Pontifex Maximus, qui Petri naviculam inter ſævientes hoc tempore errorum procellas feliciſſimè gubernat, de Te, cum adhuc in minoribus conſtitu-

tus eras; ad Philippum Erardum Episcopum Gandavensem scribebat in hæc verba. „ Libenter agnovimus comprobari opi-„ nionem sanè favorabilem, quam de præ-„ stantibus dotibus Dilecti Filii Comitis „ de Boussu Cathedralis istius Ecclesiæ „ Præpositi animo præconcepimus. „ Tum iterum paucis pòst mensibus: „ Dilectum „ Filium Comitem de Boussu Cubicularium „ nostrum honorarium ob præstantia, qui-„ bus insignitus est, non minùs Generis quàm „ virtutum decora, eo paternæ charitatis „ ac æstimationis loco habemus, ut ipse „ de Pontificia voluntate & autoritate om-„ nia possit sibi meritò polliceri; quemad-„ modum illi, tibique simul, citò, ut con-„ fidimus, ac luculenter constabit. „ Cum verò idem Pontifex (cujus memoriam fidelis Deo & Ecclesiæ posteritas venerabitur) sermonem ad Te, in Archi-Episcopali jam Sede constitutum, convertit: „ Magno, inquit, in pretio Te semper ha-„ buimus, ac simul optimos pietatis zeli-„ que sensus Paternâ prorsus charitate „ complexi sumus. „ Ipsius denique in testimonio, quod post collatam in Te Cardi-

nalitiam

nalitiam Dignitatem accepimus, hæc leguntur : „ Præclaris dotibus Tuis atque „ virtutibus, imprimis autem eximio ze- „ lo, & invictæ constantiæ, quâ Eccle- „ siasticam libertatem, orthodoxam Do- „ ctrinam, ac S. Sedis autoritatem hacte- „ nus propugnasti, jure quidem merito præ- „ mium debebatur, quo Te nuperrime de- „ coravimus. „

Paria sunt, quæ à Sacra Cæsarea Catholica Regia Majestate de Te pridem, atque ad Te perlata sunt, cum Te Consiliariis suis actualibus intimis annumeraret. Significavit Imperator & Rex noster Clementissimus, „ Animo se revolvisse in- „ gentia gesta, & bene merita, quibus „ Nobilissima & antiqua Prosapia undè „ descenderes, Patriæ & communi bono „ per varia virtutum genera vel maximè „ commendatam se reddidisset. „ Tum propiùs ad Te, Tuaque merita respiciens, subdit : „ Quemadmodum præcipuè ipse- „ met Dominus Archi-Episcopus celeber- „ rimis hisce Majorum suorum vestigiis in- „ sistendo per diversa non tantùm Sanctæ „ Romanæ Ecclesiæ, verùm etiam publicæ

*„ rei & Patriæ amore ſuſcepta negotia,
„ æquè olim cum adhuc Sanctitatis Suæ
„ Prælatus Domeſticus audiret, ac nunc,
„ utpote Archi-Epiſcopali Dignitate ſuâ
„ conſpicuus, indefeſſus ſemper, & præ-
„ ſertim in jam diu ardua rerum viciſſi-
„ tudine, valde laudabilibus bene merendi
„ ſtudiis, ſingularem ubique ſui exiſtima-
„ tionem ſibi conciliaſſet. „ Adjunxit: „ In
„ te præterea conſideraſſe Majeſtatem ſuam
„ Sacratiſſimam, eximiam in rebus diſ-
„ cutiendis prudentiam, excellentem Do-
„ ctrinam, intemeratæque fidei & ſpecia-
„ lis probitatis perſeverantiam, ac præcla-
„ ras alias, quibus natura Te liberaliter
„ exornaſſet, inſigniores animi dotes &
„ ſpecimina. „*

Atque hæc quidem tam multa, tamque eximia Doctrinæ, Virtutis, Prudentiæ, & indefeſſæ in rebus Fidei atque Imperii tractandis Conſtantiæ teſtimonia tum fuerunt data, cùm te Romæ & Viennæ penitiùs inſpexiſſent Pontifex & Imperator: tum, inquam, cum, qualis eſſes, non tunc famæ credebatur, ſed uſus coram & conſuetudo demonſtrabat. Quid hiſce præconiis illu-

illustrius, certiusque potest adferri, quæ ab incorrupta Majestatis fide manarunt?

Post hæc supervacaneum videri meritò posset, ea commemorare omnia, quæ de Tuis præcellentibus meritis atque virtutibus Primores Belgii Proceres dudum testati sunt. Unum, quod proprium Tibi & singulare est, quodque inter cetera apparet illustrius, præterire sit nefas. Illustrissimus Magni Mechliniensis Concilii Præses, cum Tibi, totius Illustrissimi Corporis nomine, Cardinalitiam gratularetur Dignitatem, inter cetera præclara, hoc potissimum extulit, quod perfectissimam Sacerdotium inter & Imperium concordiam Belgium Tibi Austriacum debeat. Adjiciebat Vir perspicacissimus, hâc concordiâ firmatâ, Fidem simul firmari & Sceptrum: has esse geminas columnas, quibus pax mundi nititur & decor: alterutrâ nutante, horrendum impendêre Chaos, & inevitabilem rerum confusionem. Hanc Vir ille sapientissimus tam necessariam communi Ecclesiæ & Imperii bono concordiam paternæ Tuæ charitati & singulari prudentiæ meritò est gratulatus. Etenim sciunt

omnes,

omnes, & Acta Ecclesiæ Mechliniensis luci publicæ data disertissimè testantur, resquasque arduas, quæ ad hanc pacem & concordiam conservandam faciunt, Tuo te ingenio concipere, quod à natura nactus es acre, perspicax, eruditione & usu doctum: tum quæ comprehendisti, disponere prudenter, constanter exequi, ac regere denique per Te, causæ Dei & Patriæ semper intentum. Quibus momentis qui se inclinari non sinit, nescio an humano regimine duci possit.

Quis non miretur Tuam in rebus singulis, minimis juxta ac maximis, attentam semper & indefessam vigilantiam? Gregem Tibi Divinitùs commissum lustras frequentissimè, omnibus verè Pastor, verè Pater. Ad Palatium, quod Successoribus exstruxisti, facilis omnibus accessus patet. Introëuntibus ad Te statim se prodit oris comitas, frontis serenitas, cordis benevolentia & amabilis quædam sine fastu majestas. Domesticos Paternâ curâ complecteris, Tui propemodum oblitus. Religionis & Pietatis officiis famulatus Tuus vacat constanter urgente Te, ac rationem ex-

expoſcente. Divinis interſunt quotidie Sacrificante Te : Vacant communibus precibus Te recitante. Palatium denique totum odorem ſpirat modeſtiæ & probitatis. Tantum valet, ad Dei cultum excitandum in ſubditis, Principis exemplum. Menſam omnibus habes hoſpitalem, frugalem tamen; ut ſacris Tuis reditibus vivant verecundæ Familiæ, obærata Clauſtra, Religioſæ Domus, publici pauperes : qui omnes majorem ex ære Tuo ſummam in eleemoſynis numerant, quàm Tu ipſe conſumas.

Talem Te futurum aliquando, ex ipſa juventute Tua licuit ominari. Erant jam tum in Te matura omnia præter ætatem, pietas maximè. Humaniorum Literarum Gymnaſium frequentabant unà Tecum Bruxellis Natali loco lectiſſimi adoleſcentes, præter alios Nobilitatis Titulo diſtinctos, Equitibus geniti Aurei Velleris facilè decem : quibus omnibus palmam conſtanter præripiebas, Commilitonibus Tuis exemplo & invidiæ. Romam profectus, florentiſſimum Collegium Germanicum, inter Italiæ, Germaniæ, Hungariæ florem No-

Nobilitatis, exornasti Convictor. Quæ Domus, pietatis non minùs quàm rerum Theologicarum Magistra, maximarum semper fuit Seminarium Dignitatum. Etenim ex illa olim prodierunt Andreas, Tuus in Archi-Episcopali Sede Prædecessor, & Ferdinandus hodie Namurcensis. Ex illa prodierunt, Tui illic contubernales & condiscipuli, Illustrissimi & Reverendissimi Viri Ladislaus Adamus Comes Erdeodi, Nitriensis, & Comes Sigismundus Collonitz, primùm Vacciensis, nunc Viennensis, Episcopi: qui duo, cum in ipsa Urbe Cæsarea (primo inter Belgas exemplo) à Nuntio tum Apostolico, nunc Eminentissimo S. R. E. Cardinali Spinola Archi-Episcopus consecrareris, Sacratissimos Tecum ritus peregerunt. Primus denique es Ordinis Hierarchici, quem in Belgio Augustissimus Cæsar Consiliariis suis actualibus intimis annumeravit: Primus, è Belgii Archi-Episcopis, qui in Eminentissimorum Collegium umquam fuerit adlectus. Hoc in honoris fastigio positus, tamquam fulgentissimum Belgii Sidus, Tibi ardes, aliis luces.

Talem

Talem ac tantum Te Tibi, Eminentissime Princeps, clientes Tui minimi gratulamur. Omnium & singulorum votum est, ut Te talem Deus Ecclesiæ, Imperio, bonis omnibus, communi Austriaci Belgii atque Orbis utilitati multos annos conservet. Sanctissimo huic fini ab Omnipotenti impetrando Sacerdotum Sacrificia, omnium preces, atque nos ipsos totos profundissimâ veneratione offerimus, atque dicamus.

EMINENTISSIMO PRINCIPI
S. R. E. CARDINALI
DE ALSATIA DE BOUSSU
ARCHI-EPISCOPO
MECHLINIENSI
PRIMATI BELGII, &c. &c.

O Flos Alſacidum! famam & decora alta tuorum
Qui ſuperas, pariter virtute & origine Princeps.
Quod natura dedit Proavis, hoc celſior ornat
Purpura, quam meritis tranſmiſit Roma, probante
Cæſare. Nempe ille imperii rerumque ſuarum
Concilio pridem aſcitum, nunc denique gaudet
Purpureos inter Patres Sacrumque Senatum
Evectum aſpicere, & geminum fulcire tribunal.
Quàm celeri pennâ ſeſe ſuper ardua virtus,
Nobilitaſque levat! quando vis illa, vigorque
Nativus, cæli meliori accenditur igne.
Fas mihi ſit (frendente licèt, morſuſque minante
Invidiâ) plauſus Belgarum & publica mundi
Vota ſequi. Mihi Mæonii quis pectoris œſtrum
Excitet? ô me per tenues ſi Pegaſus auras
Tollat humo, penniſque ferat, fontemque recludat
Aonium! merito ut valeam comprendere verſu
Ingenium, moreſque pios, vultumque, animumque
Omnibus acceſſu facilem, faſtuque carentem:
Quotque tibi natura tulit, quotque addidit æther
Munera, quæ meritò veniens mirabitur ætas.
Non mihi ſi centum reſonet vox ferrea linguis,
Omnia commemorem. Vatem data copia vincit.

At

At veluti paucas ſi quis de litore arenas
Colligat, aut raras digito decerpat ariſtas,
Sic partem exiguam meritorum Muſa tuorum
Noſtra leget. Tenues placido, quo cetera, vultu
Reſpice conatus : nec amorem ex carmine cenſe.
Te genuit Bruxella, ſuoque ſuperbit alumno:
Nobilium Bruxella parens, altrixque virorum.
Hos inter titulis clara, & longo ordine Avorum
Emicat, Heroeſque armis palmâque decoros
Et Chimæa domus, domus & Bouſſuvia monſtrat:
Nunc geminâ radice potens. Sic Savus in Iſtrum
Cum fluit extenditque ſinum, capit alveus ingens
Unus aquas, miſcetque duas. Spatioſior amnis
Fonte celer gemino ruit, & tumida æquora pulſat.
Hâc tu, conſilio Divûm, de ſtirpe creatus,
Illuſtres Majorum animos cum lacte bibiſti.
Quippe tenax natura, patrum transfundit in ipſos
Virtutem pueros : aquilâ nec matre columba
Naſcitur, acceptoſque oſtendit originis ignes
Acer equus : ſive ille lacus innare patentes;
Seu celeres crura in gyros glomerare laborat
Seſſorem tergo accipiens; ſive impete fertur
Igneus, & metam victor tenet. Omnia partûs
Dant documenta ſui : creſcenſque agnoſcitur infans
Quo ſit patre ſatus. Paucis vix editus horis
Jam Superis certamen eras. Sibi quiſque Deorum
Cunarum optabat curam, ſoboliſque regendæ.
Mars qui tot Proavis belli inſpiravit amorem,
Argento ductam galeam, gladiumque coruſcans
Fulmineum, cælo citus advolat, atque ita fatur:
Parve puer, juvenem cum te formaverit ætas,
Facta tibi ante oculos veterum volvantur Avorum,
Gentis & Alſatiæ ſtimulet decus. Aſpice fulvum
Flandria quem præfert ſcuto, oſtentatque Leonem.
Hunc victor bello domuit, retulitque Philippus
Alſatius, ſpolium ardentis memorabile pugnæ
Alba-

Albano regi ereptum. Tulit alter * ab undis
Eois, quem Bruga colit ſervatque cruorem
Divini lateris. Proh quanta pericula terrâ,
Quanta mari paſſus! quando dura omnia rumpens,
Turcarum Imperium & Syriæ quater attigit oras.
At nunc fama oculis ſeſe vicinior offert,
Exemplumque Patris: quo non præſtantius ullum
Poſteritas ſtupefacta canet. Jam Gallia muros
Cinxerat Alnardæ, gyroque incluſerat arcto,
Marte premens ſubito, & circum fulgentibus armis.
Hiſpani vallum intrepidâ ſtatione tenebant:
Exigui numero, ſed bello exercita virtus.
Nec non & curæ legio commiſſa paternæ
Stabat in excubiis, & propugnacula Gallo
Proxima ſervabat: ſed ab agmine ductor & urbe
Alſatius procul unus erat. Quem ut fama pericli
Perculit ignarum, ſtimulis agitatus honoris,
Hæc ſecum: Mene abſentem, amplexuque meorum
Avulſum, hoſtiles non poſſe repellere turmas
Mœnibus, & pulchra laudem pro morte paciſci?
Nempe hi pro Patria vitam cum ſanguine fundent:
Me ſegnem, & pugnæ ſecurum hæc terra tenebit?
Non adeo indecorem genuit Pater. Aut ego victor
Cum ſociis ferar, aut vitâ defungar honeſtâ.
Nulla dies me degenerem, nulla arguet ætas.
Dixit, & ad muros properans, ferrum inter & ignem,
Hoſtilemque aciem ſtatuit perrumpere, & intra
Obſeſſos, ſi fata ſinant, ſe immittere muros,
Auxilium ſociis armis laturus & urbi.
Pœnorum qualis vaſtator montibus errans
Subſtitit, infremuitque Leo, ſi fortè rudentes
Secreto longè catulos audivit ab antro,
Et ſtrepitum circa venantûm, & cornua rauca:
Ille jubam excutiens ferus advolat: obvia cedunt
Cum ſonitu virgulta: oculis micat acribus ignis.
Sic

* *Theodoricus Alſatius.*

Sic animo fremit Alſatius, muroque propinquans
Rimatur quâ parte viam ſibi rumpat ad urbem.
Quid faciat? quæ dextra auſum fortuna ſecundet?
Caſtra inimica tenent aditus. Hinc mœnia Scaldis
Præterit, & multam admittit cava foſſa paludem.
Pontibus abruptis nulla eſt via. Litore ab alto
Deſilit, oppoſitamque natans comprendere ripam,
Et recipi portis, ſociaſque attingere dextras
Nititur impavidus: nec vincere pectoris ignes
Unda, nec algentis potuit violentia brumæ.
Criſta viri ut ſummâ rutilans apparuit undâ,
Conclamant hoſtes: ſimul intonuit cava circum
Tempora tempeſtas plumbi: ſed vulnera nanti
Nulla tulit. Socii incolumem læto ore ſalutant:
Militibuſque animi fervent ductore recepto.
Tantum martis amor, generoſaque pectora pulſans
Fama valet, mediâque in morte interrita virtus,
Atque animus patriæque ſtudens, Regique fidelis.
At quamquam ille necem, ferro inviolatus & igne,
Evaſit ſuperans: tamen acri frigore nervi
Contracti ſtupuêre; gelu penetrante medullas,
Oſſaque. Nec Solis radii, nec balnea veris,
Balſamaque, & quidquid medicorũ ars irrita finxit,
Reddere præteritum membris potuêre vigorem.
Septem hiemes, totidemque infirmo corpore meſſes
Duravit lentè moriens: thalamoque focoque
Membra caduca fovens. Mors pallida donec honeſto
Funere magnam animam rutilantibus intulit aſtris.
Quid memorem aurato decoratam Vellere longam
Sanguinis Alſatii ſeriem? quæ munera Regum
Magnificâ collata manu, meritiſque repenſa
Non interrupto per ſecula ſervat honore
Clara domus, * Caroluſq; feret mox proximus heres,

* *Numerat Familia Eminentiſſimi Domini Cardinalis, octo, aut plures Equites Aurei Velleris: iis adſcriptus eſt à Carolo II. Rege Catholico anno 1694. Carolus Ludovicus de Alſatia Comes de Bouſſu Princeps de Chimay Eminentiſſimi Domini Germanus Frater.*

Regia qui ad ſeros tranſmittet dona nepotes.
Hæc Mavors ubi dicta dedit, puerumque paternis
Laudibus ad famæ Proavos æquantis amorem
Incendit, cunis galeam ſuſpendit, & enſem
Sanguine adhuc, quondamq́; hoſtili cæde cruentum.
Continuò Pietas, tacitoque Modeſtia paſſu
Tecta ſubit, Pallaſque humerum nudata ſiniſtrum.
Non tamen ære caput protecta, nec ægide pectus:
At ramo præcincta comas florentis olivæ,
Atque manu geſtans venturæ inſignia pacis.
Et Pietas complexa crucem de more tenebat.
Quæ ſimul infantis tetigêre cubilia, & ora
Attonitæ formoſa vident, oculoſque nitorem
Sidereum ſpirare: inimicum protinus enſem
Cum galea procul abjiciunt. Satis ille, ſuperque
Tritus Avis: Puer hic decora ad majora creatus
Noſter erit, dixere Deæ. Dein Marte fugato,
Pectore diffundunt cæleſtia dona, novumque
Quod ſtupeant ſerâ venturi à ſtirpe nepotes,
Aggrediuntur opus. Mentis limare receſſus
Incipit, ingeniumque capax & ad omnia vivum
Nata Jovis fingit. Fugiunt Torporque, Stuporque,
Segnitieſque, &, Nox partu quos edidit uno
Error, & Erroris comes Ignorantia veri.
Nec mora, cæleſti pueri mens luce refulſit.
Non aliter, tenebris ſub Tartara nigra fugatis,
Solis equi ſummo tollentes pectora ponto
Spiravêre diem, rebuſque dedêre colorem.
Nec non & Pietas, ſimplexque Modeſtia ad omnem
Numinis erudiunt cultum. Spernuntur inanes
Jam nunc divitiæ, tumidâque Superbia fronte,
Et Venus, & pueri ſtillantes felle ſagittæ,
Vanaque Lætitia, & quidquid ſub imagine falſa
Senſibus illudit miſerorum, & fallit hiantes.
Sola placent, nullo quæ tempore finiet ætas,
Æternumque micant: ſolis juvat ignibus uri
Aſtro-

Aſtrorum, atque humilis ſpeciē contemnere terræ.
Poſtquam operis poſuêre Deæ primordia ſacri,
Factorum ſeriem, & qui deinde ſequentur honores
Ore canunt ſacro, & fatorum oracula pandunt.
Macte alacri virtute puer! florente juventâ
Sublimis cum te Studiorum incenderit ardor,
Æquævos longè tua poſt veſtigia linquens
Victor eris, * primaſque feres certamine palmas.
Seu te Grammaticâ egreſſum divina Poëſis
Culmine Parnaſſi ſtatuet; ſeu voce ſolutâ
Eloquioque tones; ſeu rerum exordia prima,
Stellarumque ortum obſerves, pelagique recurſum
Inſtabilem, aut legis divinæ oracula volvas:
Nuſquam aberit quæ te ſecreta per omnia ducens,
Exacuat mentem Pallas, tenuetque laborem.
Artibus excultam tantis quæ gloria mentem
Excipiet! tibi Pontificum, tibi curia Regum
Pandetur, Fideique & Sceptri arcana pateſcent.
Hæc ubi fatidico cecinerunt ore, Galerum
Purpureum appendunt cunis, mitramq;, Pedumq;,
Paſtorale decus, venturique omen honoris.
Blandaque figentes cæleſtibus oſcula labris,
Infanti dixêre vale. Senſiſſe putares:
Uſque adeo roſeiſque genis, atque ore renidet
Parvulus, & divas nutu, pro voce, ſalutat.
Nunc age, qui fuerint præſagia tanta ſecuti
Eventus, moreſque & facta illuſtria cantu
Aggrediar: rerum quando mihi nobilis ordo
Materiam præbet Muſis & Apolline dignam.
Vix decimum creſcens ætas expleverat annum,
Diſcentem cum te Latiæ primordia linguæ
Inſtituêre Patres, elementaque prima dedêre.
Quantum animis diſcrimen ineſt! pernicior omnes
Deſeris, & ſociis longè poſt terga relictis,
V 2 Ad

* *Bruxellis in Gymnaſio Societatis JESU in ſingulis ferè ſcholis primam palmam retulit.*

Ad metam enitens properas. Superata juventus
Ingenium ſtupet, & palmæ gratatur honorem.
Certantem circi ſic pulvere currus Achillem
Ex oculis volitantem aufert : quem ponè ſecuti
Quadrijugos ſtimulant alii, increpitantque flagello
Nequidquam: ille fugâ volucres prævertitur Euros.
Palladio haud aliter certamine mens tua victos
Antevolat, turbamque procul reſpectat anhelam.
Nec pietas animum excelſum, nec gratia mores
Compta fugit. Blandum cunctis aſpirat amorem
Majeſtas, pulcroque nitens in corpore virtus.
Nîl incompoſitum, nîl durum, aut acre relinquens,
Ipſa regit greſſus, geſtumque Modeſtia fingit.
Famaque mox Belgarum animis allapſa canebat
Hunc olim bello juvenem & cæleſtibus armis
Venturum auxilio Fidei, excidioque daturum
Tartareas errorum acies, quæ fronte rebelli
Excuſſêre jugum Italiæ, populumque ſequacem
In partem traxêre doli, Sectæque nefandæ.
Ipſi etiam Heſperiæ Regi, qui temperat Indos
Imperio, Belgaſque regit, Romanaque jura
Vindicat enſe ſacro, pernici per freta pennâ
Fama eadem retulit, primâ ſudare palæſtrâ
Stirpe ſatum Alſatiâ, quondam qui Numinis aris
Adſcriptus, populum exemplo vitâque probatâ
Excitet, inſpiretque ſacros languentibus ignes.
Qui rumor poſtquam ad Regem penetravit Iberum,
Virtuti exemplo dare prœmia digna parabat
Egregius meriti cenſor; queis panderet amplam
Ad majora viam, limenque aperiret honori.
Stat vetus, & reliquis ſeſe altiùs urbibus effert
Ganda, caput Flandrorum, & Cæſaris inclyta cunis,
Carolus Auſtriacus quibus olim vagiit infans.
Urbe ingens mediâ duplici cum fornice templum,
Atque aris terram ſupraque infraque ſuperbum
Conſpicitur, Comitum donis, priſcâque verendum
Relli-

Religione patrum, Myſtarumque ordine ſacro.
Tempore fortè illo ſedes ſuprema vacabat
Præpoſiti, (patrio ſic illum nomine dicunt:
Vox quamquam priſcos latuit, reſq; ipſa, Poëtas.)
Hæc meritis Regi ſtatio digniſſima viſa:
Præpoſuitque * viris juvenem, cui cedere pronus
Debeat, atque omnis venienti aſſurgere cœtus.
Ergo inter ſacroſque patres, & vertice cano
Conſpicuos, ætate minor, ſed acumine mentis
Et virtute ſenes æquans, ſedet altior unus
Alſatius, primumque chori ſortitur honorem.
Hoc titulo inſignẽ, & ſtudia ad graviora profectũ
Docta ſinu accepit fovitque Colonia, † Rheni
Margine quam poſitam rapidis pater alluit undis.
Hìc tu difficiles quot habet Dialectica nodos,
Certandique modos varios, variaſque figuras
Diſcis: amans veri radicem aperire latentis,
Atque aciem, fallax ne quà ſe ſubtrahat hoſtis,
Inſtruere, & preſſo fugienti inſiſtere paſſu.
Tum rixas vitare, & inania tollere curas
Prælia verborum, & fucos rationis egentes.
Sæpe etenim ſenſu ambiguo latet abditus error,
Et veri incautos ſpecies capit. Artibus illis
Gens aſſueta dolis, nec aperto fidere bello
Auſa, ſolet ſenſus tenebris velare malignos,
Et verſare pedem inſtabilem, nec figere greſſum
Marte vago, ſemperque novos captare receſſus.
Non aliter quam ſi leporis veſtigia nactus
Certa canis, ſtringat fugientem, & curſibus acer
Jam jam dente premat: ſaltu hic fruſtratur hiantem
Obliquanſque fugam, nunc hac, nunc proſilit illac,
Vimque dolo eludit: tum ſicubi frondea vallem
Obtexunt latera, & virgulta ſonantia dumis,

 Huc

* *Cum eſſet in Poëſi à Rege creatus eſt Præpoſitus Cathedralis Eccleſiæ, S. Bavonis Gandavi.*

† *Coloniæ apud PP. Societatis in Collegio Trium Coronatorum Philoſophiæ dedit operam,*

Huc pavitans fugit, & ſilvâ ſe condit opacâ.
Hunc morem ſervant, atque hac ſe fraude tuentur
Quos deſerta fides ſcopuloſa per invia cæcos
Præcipitat: (neque enim exitium, aut vim fulminis
Indocilis cervix, & flecti neſcius error.) (horret
Mille dolis martem inſtaurant, mille abdita tentant
Effugia, & trito hæreticis umbone teguntur.
Dicere quippe eadem, & mox dicta negare parati,
Si res læva cadat, laqueique ambage tenentur.
Hos contra dedit arma tibi, puriſque Minerva
Luſtravit mentem radiis caligine pulsâ:
Ne quâ fraude gregem, tibi quem modo credidit
Invadant, lacerentq; lupi, fallantq; veneno. (æther,
Dein motus naturæ omnes, atque omnia rerum
Semina ſcrutaris: quâ vi modo litora pontus
Summa tumens feriat; verſis modo litora vitet
Fluctibus, & vacuæ longè nudentur arenæ.
Unde lacus, fluviique gelu durentur, & atris
Nubibus erumpens crepitanti grandine turbo
Vitibus, & curvis ſtragem meditetur ariſtis.
Nec non & fixâ ſtellas regione micantes,
Aſtraque mota notans, quo ſingula limite diſtent
Metiris radio: num Sol, num Terra feratur
Aëra per vacuum: quæ cauſa in cornua Lunam
Contrahat, & demptis modo cornibus impleat orbẽ.
Omnia ſcrutanti patet ingens machina mundi,
Et natura ſinus aperit, ſecretaque pandit.
Nec ſatis eſt didiciſſe: palam ſed cuncta tueri,
Et conferre pedem, vibrataque tela retrorſum
Vertere, nec trepido titubantem hærere palato,
Hoc opus, hic labor eſt. Paucis ea gloria ceſſit.
At te ſolventem nexus, nodoſque ſecantem
Implicitos, mediâ victorem exire palæſtrâ
Obſtupuêre omnes: lætoque ſonantia plauſu
Atria gratantur. Scires à Pallade doctum.
Dein te Roma, caput mundi, morumq; Magiſtra,
Chriſtia-

Chriſtiadumque parens, ſacro quæ vertice rebus
Altior humanis Cathedræ præfulget honore,
Diſcipulum læta accepit, ſtrinxitque lacertis.
Urbe domus mediâ eſt ſtudiis agitata Minervæ.
Hìc ſe continuè exercet Germana juventus *
Artibus incumbens variis. Pars juris alumna
Pontificum volvit leges: pars mentem animumque
Limans marte ſacro, fidei quibus impetat hoſtes
Arma parat; pars Divinæ penetrare receſſus
Mentis, & ad fidei normam componere mores
Nititur, indomitoſque animi compeſcere motus.
Fervet opus, pulcriſque omnes conatibus inſtant
Parti quiſque ſuæ. Quem tu, celſiſſime Princeps,
Ingreſſus cœtum, ſtadiique ardentis arenam,
Partito reliquis operi, triplicique labori
Sufficis, atque uno triplicem fers vertice palmam.
Nam poſtquam rediens ſol per duodena cucurrit
Signa quater, totidemque exegit curſibus annos,
Te pariter ſtudia emenſum metâque potitum
Laurea Doctoris titulo decoravit, † & inter
Conſpicuum Eximios numeravit fama Magiſtros.
Ante tamen vario tentatum examinis æſtu
Pectus erat, quotieſque acri es vexatus arenâ,
Victorem toties retuliſti ex agmine greſſum.
Publica quin etiam ingenii documenta dediſti.
Quippe theſes geminas gemino tutatus honore.
Harum aliæ hæreticis clademque fugamque minatæ,
Pugnacem eduxere aciem. Pars altera pugnæ
Mitior, oppoſitos eliſit marte modeſto
Conatus: luctæque fuit victoria finis.
Interea toti Clemens qui præſidet Orbi,
Palladis ora Deæ noctis ſub imagine vidit,

 Cum

* *In Collegio Germanico, & Hungarico habitavit Convictor annis tribus, in Seminario Romano anno uno, quibus ſtuduit Theologiæ.*

† *Abſolutis Diſputationibus omnibus, defenſiſque publicè Theſibus, Laureâ Doctoris eſt coronatus in Academia Gregoriana Collegii Romani Societatis JESU.*

Cum tacitis curas hominum nox tolleret alis.
Diva manu Comitem Alſatium complexa tenebat.
Tum ſic orſa loqui. Princeps qui ſedibus hoſpes
Succeſſit Latiis, quas, aſpice, pectore flammas
Spiret, Avis Ataviſq; potens. Martem ille profanum
Exoſus, ſacram Auſoniæ Sedemque, fidemque
Proteget ingenio. Jam nunc & Gallia turpi
Diſſidio laceranda tremit. Jam & Belgica tellus,
Clara viris ſtudiiſque, at mox turbanda tumultu
Paucorum, fremit arma parans: quos ille potenti
Marte premet, flectens animos, pacemque reducens.
Hæc Pallas poſtquam eſt effata, manuq; prehenſum
Admovit thalamo juvenem, ſeceſſit in auras.
Excuſſus ſomno Clemens, modo viſa retractat
Multa putans, ſpecieſque animo juveniſque Deæq;
Occurrens redit, atque oculis vigilantis oberrat.
Miratur quem tanto operi deſignet olympus,
Quis priſcæ vindex fidei revocare rebelles
Poſſit ad obſequium, poſitoque reducere faſtu,
Et totum fidei ſubmittere legibus orbem.
Jamque pruinoſas aurora removerat umbras,
Alſatius Princeps cœtu de more coacto
Errantes contra furias certamen inibat.
Conveniunt Doctorum acies, urbiſque Senatus,
Purpureique Patres, avidi cognoſcere pugnæ
Eventum. Solio ante alios ſublimior omnes
Aſſidet, æterni claves cui credit Olympi
Numen, quique hominum noxas ſolvitque, ligatq;.
Conſeſſu juvenis medio ſtetit ore ſereno
Impavidus: Patrumque fidem, divinaque jura
Pontificum, & Chriſto ſponſore oracula falli
Neſcia tutatur: vivo tum pectoris æſtu
Attollens vocem * orator, ſermone Latino
Intonuit. Stetit attonitis ſacer auribus ordo.
Et quantùm Latiæ valeat facundia linguæ
Tunc

* *Orationem Latinam coram Pontifice habuit.*

Tunc patuit. Speciem miratus & ora loquentis,
Lumina in Alſatium Clemens defixa tenebat.
Viſorumque memor, Pallas quæ nocte ſilenti
Pontifici ſpectanda dedit : Proh pectore robur
Quantum oſtentat! ait : doctæ quæ gratia linguæ!
Credo equidem (neque enim noctis me fallit imago,
Atque animo nimium ſpecies mihi nota recurſat.)
Hunc eſſe, Auſonias olim qui proteget arces,
Auſaque paucorum temeraria, vimque furentem,
Quâ terramque, polumq;, & fulmina lenta laceſſent,
Comprimet, Auſtriacâ virtute & Cæſare fultus.
Ex illo Alſatium miro complexus amore
Signa dedit Clemens animi manifeſta paterni,
Miratus celſam juvenili in corpore mentem,
Moreſque, & tantis dignos natalibus ignes.
Poſtquam te docuit Pallas, promiſſaque ſolvit
Artibus erudiens : clarâ ſe in luce videndam
Obtulit, & blando Pietas ſic ore locuta eſt.
Illa ego naſcenti ſacræ quæ ſemina flammæ
Prima dedi : nunc imperio tibi miſſa Tonantis
Juſſa fero. Tu cede Deo, tu cede vocanti
Quo te cumque trahit, quo ſpiritus æthere ab alto
Sollicitat, ſtimulis agitans. Ne te mora ſegnem
Ulla brevis teneat. Scelus eſt contemnere Divûm
Imperia, atque obicem monitis opponere noſtris.
Neve animum dubio trahat in contraria motu
Conſilia, incertoque anceps ſententia nutet:
Hunc ſequere : oſtentatq; crucem quam dextra tene-
Hoc dicto, ex oculis ſuperas remeavit ad oras, (bat.
Thuriferumque abiens longè ſpiravit odorem.
At cita per venas, per cor tibi flamma cucurrit
Fulminis in morem, liquefactaq; Numine mens eſt.
Saucius exclamas : Sequimur te Diva vocantem
Quo ducis, monitiſque alacres paremus, & olim
Quam ſenſi, igneſcunt veteri præcordia flammâ.
Adſis ô, faveaſque, & gandibus annue cœptis.
Terra

Terra vale : ſequor aſtra volens, ſequor omina cæli
Quo me ſancta vocant. Dixit, Dominique volutus
Ante pedes, noctem lacrymis votiſque fatigat.
Eoas Titan oriens vix liquerat undas,
Propoſitique tenax rutilis cum veſtibus enſe
Depoſito, indutuſque ſacris, & vertice raſo
Myſta novus ſtetit ante aras. Volat æthera in altum
Victima, quæ Solymæ moriens in colle pependit.
Et quamquam reditum, ſtudiis ſacriſque peractis,
Proxima ſuadebant properantis frigora brumæ:
Non priùs Auſonia dulci, Romaque relicta
Carpere iter patriæ, caroſque reviſere Belgas
Cura ſubit, quàm Pontificis dedit oſcula plantis
Supplex, amplexuque Pater bene dixit eunti
Multa vovens, memoriq; abſentē mente reponens.
Ergo ubi te reducem complexa eſt Belgica tellus
Ornatus venerata ſacros, venerata coronam
Verticis : excepit gratanti protinus ore
Ordo Sacerdotum aſſurgens, primâque locavit
Parte chori. Reſonant templi pulſa atria cantu
Magnifico, grateſque Deo perſolvere certant
Præſidis adventu læti : quos deinde benigno
Accipis alloquio, dextraſque amplexus inhæres.
Nunc mihi Parnaſſi colles Heliconaque Muſæ
Pandite, quæque virum dein ſit fortuna ſecuta,
Et quibus ad culmen gradibus penetrarit honoris
Dicite : ſcitis enim Divæ, & memorare poteſtis.
Principio tibi cura gregis commiſſa tuendi, *
Impoſitæque vices Antiſtitis, atque onus urbis,
Gandavo Erardus quoties migrare relicto
Cogitur, & viduam Paſtore relinquere caulam.
Tanta animo mox emicuit probitaſque, fideſque,
Gratiaque, & dubiis prudentia cognita rebus,
Curarumque capax, & natum ad grandia pectus.
Scilicet aſſenſu populi Mitrâque Pedoque

Jam

* *Româ redux ſtatutus eſt Gandavi Vicarius in abſentia Epiſcopi.*

Jam tum dignus eras. Votis tantum obſtitit ætas
Immatura nimis, tantis & honoribus impar.
Interea petere Italiam, Romamque reverti
Non ſpes ulla quidem, (neq; enim præcordia pulſat
Ambitio) rerum ſed denſa negotia cogunt.
His finis poſtquam poſitus, curæque quierunt:
Protinus admiſſo Sacræ penetralibus aulæ
Alloquio patuêre fores, atque ora ſubire
Pontificis ſummi licuit. Memor ille paterni
Pridem animi, priſcoſque ardens cumulare favores,
Prælatis, * queis cura domûs, quibus atria ſemper
Sancta patent, ſocium te junxit, & inſuper auro
Porrexit radiante crucem : pars intima cujus
Ligni particulam Solymæ de colle cruento
Continet effoſſam. Quo non pretioſius ullum
Donũ mundus habet. Sed enim quoq; dextera dantis
Adjuvat, & pretii majeſtas auget honorem.
Vix iterum Latio redeuntem Flandria vidit,
Iprenſi cum te populo dare Roma parabat †
Paſtorem, Cathedramque novi fulgoris egentem
In priſcum revocare decus. Sed gloria major
Rupit opus cœptum: Clemenſque à Cæſare * vinci
Gaviſus, decora Alſatium ad majora vocanti
Annuit, & primâ decoravit Sede merentem,
Vertice Belgiacis Cathedris quæ celſior una
Eminet, & Sacro Primatûs fulget honore.
Jamque tribus tibi bis luſtris acceſſerat annus
Septimus, Auſtriaca quando novus hoſpes in aulâ
Oſcula Cæſareæ meruiſti figere dextræ.
Virtutem Cæſar miratus & indolis altæ
Ingenium, Mitræ voluit fulgore decorum
Aſpicere, & ſolitos peragi ſacro ordine ritus.

Feſta

* *Prælatis cubiculi Pontificii honorariis adſcriptus.*

† *Redux in Belgium à Pontifice deſtinatur Cathedræ Iprenſi.*

* *Ab Auguſtiſſimo Cæſare nominatus eſt ad Sedem Archi-epiſcopalem Mechlinienſem.*

Festa dies aderat, Latiis quâ missus ab oris *
Nuntius, Austriacæ jam non novus incola terræ,
Impositâ de more manu sacrare parabat
Alsatium. Ornantur splendenti altaria cultu.
Aurati volvunt tripodes laquearia circum
Undantem thuris nebulam: quæ munera nostris
Mittit Arabs templis. Cæli se visa repentè
Atria dividere, & rutilam devolvere nubem
Tecta super. Domus insolito splendore reluxit.
Astitit extemplo, ruptâque è nube refulsit
Forma Deæ non visa priùs, quæ munera Divûm
Missa manu per inane tulit: capitique micantem
(Multiplici gemmâ medium cingente pyropum)
Imposuit Mitram, Sacri gestamen honoris.
Aurum dat digitis, crux aurea pectore pendet.
Ingrederisque novus (Sacris de more peractis)
Antistes. Comites prisco tibi fœdere juncti †
Ornatu simili assistunt, quibus Infula texit
Nuper Sacra caput: studiisque poliverat olim
Roma diu paribus: tecto quoque foverat uno.
Finibus Austriacis redeuntem & rura petentem
Belgiaca, excepit læto * Mechlinia plausu.
Quippe ubi cara subis dilectæ mœnia sponsæ,
Omnia lætitiam testantur. Fonte relicto
Adfuit, & summis placidum caput extulit undis
Dilia, festivâ redimitus arundine frontem,
Muscosamque tenens humero super incubat urnam.
Urbs excita ruit: turris tonat ære canoro:
Floribus & ramis via sternitur: atria prima
Obsidet, & templi subeuntem limina ducit
Ordo sacer, festasque Patrem comitatur ad aras.

Ponè

* *Viennæ consecratur Archi-episcopus ab Illustrissimo tunc Nuntio Apostolico, nunc Eminentissimo S. R. E. Cardinali Spinola.*

† *Assistunt Episcopi duo, ipsius olim Romæ in Collegio Germanico & Hungarico Condiscipuli.*

* *Viennâ redux in Ecclesiam suam Metropolitanam solemniter introducitur.*

Ponè aditus rumpit patefacto cardine vulgus
Densum humeris. Nequeunt expleri corda tuendo
Ora optata viri, majestatemque verendam,
Flagrantesque oculos, & plenum Numine pectus.
Deinde ubi nox atrâ involvit caligine terras,
Surripuitque diem : festivis compita flammis
Urbe micant totâ, tenebrasque incendia vincunt.
Nec non tecta super fulgenti stridula sulco
Ignea tela volant. Densis crepat ictibus aër
Sulphure disrupto, & nidorem ad sidera mittit.
Non stetit hìc, sed crevit honor. Te Cæsaris armis
Ipse novo rursus donatum munere Clemens
Præficit * : adversum non ut bellator in hostem
Agmen agas, fractisve irrumpas mœnia portis:
Eugenio sors illa datur, qui marte secundo
Protegit imperium : propria est tibi cura, capaces
Militibus bello læsis adhibere ministros,
Lucrarique animas pugnantum, & reddere cælo.
Ipse etiam patrios lato qui limite fines
Protulit, ereptasque feris tenet hostibus arces
Carolus Austriacæ stirpis decus, ô quibus auxit
Alsatium donis ! quanto & dignatus amore!
Primores inter Proceres, quibus intima credit †
Consilia, arcanæque aperit penetralia mentis,
Te comitem ascivit. Quo non speciosius ullum
Pignus habere potes mentisque animique benigni.
O quantum decus Alsacidis mirantibus addis!
Lento aliis, celeri vênit tibi gloria passu.
Respice quotquot habet totus, quà panditur, orbis
Spectatâ virtute viros : ex agmine tanto
Ecquis erit quem fama suis velociùs alis
Extulit, & geminæ cumulavit honoribus aulæ?
Unica (ne titulos inter locus iste vacaret)
Pur-

* *Eodem anno constitutus est à Pontifice Delegatus Apostolicus ad Exercitus Cæsareo-Regios.*

† *Ab Augustissimo Imperatore anno eodem adscribitur Consiliariis actualibus intimis.*

Purpura reſtabat. Meritis hanc denique miſit
Roma tuis; defertque Albano ſanguine cretus
Præſtanti ingenio juvenis, cui maſcula virtus
Ætatem antevolat, ſuperatque laboribus annos.
An quiſquam Auſonia ex omni tibi gratior illo
Dona ferat? Potuitne Italâ tibi mittere Clemens
Urbe virum, qui Pontificis teſtetur amorem
Certiùs, inſolitique oſtentet ſigna favoris?
Ille iter emenſus, noſtraſque allapſus ad oras
Comiter hoſpitio accipitur: reparanſque vigorem,
Membraque quaſſa viâ, paulatim aſſueſcere cælo
Incipit, & noſtri miratur frigora veris.
Miraturque urbes varias, quas tramite diſtans
Separat exiguo tellus, & ad æthera ductas
Immani turres ſpatio, ſonitumque metalli
Sublimen, & celſis modulantia nubibus æra.
Gentibus ignotus Latiis decor: inclyta quamvis
Mille artis Roma oſtentans monimenta vetuſtæ,
Templorum mole auguſtâ, Statuiſque ſuperbis
Pyramides Nili ſuperet, Rhodioſque Coloſſos.
Scilicet & noſtris ſua ſunt ſpectacula terris,
Inferiora quidem, atque Italæ cedentia famæ:
At non hoſpitibus tamen aſpernanda Latinis,
Judicio peregrina ſolent qui expendere juſto.
 Interea luſtrare oculis dum ſingula gaudet,
Auſoniâ noſtras hoſpes qui acceſſit ad oras:
Intenti cives operi pompæque futuræ
Ornamenta parant. Galeam pars limat & enſem:
Pars aptat loricam humeris: hi concava tergunt
Scuta, atque albentem ſubigunt in cote ſecurim.
Arma nitent fulgore novo, ſolemque laceſſunt.
Feſtivi rutilant habitus, nigroſque galeros
Circulus extremo mordens diſcriminat auro.
Hic celerem diſcit vexilla rotare per orbem,
Et nunc ferre humeris: agili nunc volvere motu
Pectora cervicemque ſuper: nunc impete prono
Conniti,

Conniti, atque humili tellurem ſtringere gyro.
Lentam alii exercent liquefacto ſulphure maſſam,
Vimque atram nitri admiſcent : quæ fomite rapto
Aſtra petet, lætoque dabit ſpectacula vulgo.
Quiſque ſuo inſiſtunt operi, properantque laborem.
Mittitur & magnam Gandæ legatus ad urbem,
Nomine qui Alſatii ſacras invitet ad aras
Erardum, cui canitiem tegit Infula dignis
Preſſa comis : (ſed blanda viro viridiſque ſenectus)
Sacrificâ qui voce, poli de ſedibus altis
Deducat Numen, celebretque altaria cantu :
Quique, decus ſublime, receptum ex urbe Galerum
Cognato imponat capiti. Juveneſcere viſus
Advolat, & votis properans reſpondet amicis.
Jamque dies optata aderat, ſacriſque dicatam
Ritibus exoriens Sol ſparſerat æthere lucem.
Undique gens excita novos viſura triumphos
Confluit. Undantem capiunt vix mœnia turbam.
Hoſpitibuſque lares deſunt. Pars ſub Iove durant,
Communeſque epulas lætâ cinxêre coronâ.
Quis populi ſtudiũ memoret, pompamq; ſuperbam?
Excepit quâ compta novo Mechlinia cultu
Tendentem ad Sacra Alſatium, quem Purpura totũ
Longa tegit. Comitem lateri ſe jungit euntis
Sanguinis Albani Legatus, & obſitus ævo
Erardus, tremulæ neſcit qui damna ſenectæ.
Quà properat, ſacraſque Patrem via ducit ad ædes,
Picturâ cives fixiſque tapetibus ornant
Murorum latera, & triti calcantur odores.
Quippe croci, caſiæque, & flos ſpirantis anethi,
Atque roſæ, fragilique thymus radice revulſus
Spargitur. Apricis ſpoliantur honoribus horti.
Ergo inter populi plauſum, fremitumque calentem
Alſatius templum ingreditur. Canit ore Philippus
Sacrificans, grateſque Deo perſolvit : & unà
Principis impoſuit capiti quem Roma Galerum
Miſe-

Miſerat, & ſacrum pompæ finivit honorem.
Veſtibus interea variis ornata juventus,
Feſtivis lucem celebrare paratibus ardens,
Ordine progreditur longo. Micat ære tonanti
Denſa humeros onerata acies : cui balteus auro
Intextus, lateri gladium ſuſpendit avitum.
Primaque Belgiacis legio procedit in armis,
Prompta ſitum variare, & tergora vertere gyro
Multiplici, celerique aciem glomerare regreſſu.
Nunc paſſu æquato properant : nunc pectora denſant
Frontibus adverſis, & ludicra prælia miſcent.
Æraque fumiferum volvunt ſub naribus ignem.
Pulvere mox onerant agiles, humeriſque reponunt
Arma ſuis. Alii Turcarum inſignia geſtant.
Longa pedes, Aſiæ ritu, toga pendet ad imos.
Tortile tegmen habent capitis, cervixque tumenti
Orbe latet : lævâ conſurgens conus ab aure
Erigit albentem nutanti vertice criſtam.
Lata femur vagina terit; cui cuſpidis expers
Falcatum inſeritur ferrum : quod acinace Medo
Certiùs in chalybem penetrat, galeaſque ſonantes
Dividit, & ſparſo diverberat oſſa cerebro,
Marte ubi fulmineo concurrunt agmina, & inter
Europamque Aſiamque manus Bellona cruentat.
Hiſpanum hos agmen ſequitur, veſtigia celſo
Tarda ferens paſſu. Magnæ his pro corpore vires,
Magna animo virtus, & cedere neſcia bello.
Si quæras, quæ forma viris? quis cultus? & arma?
Pectora, ventre tenus, ſtringunt thoracibus arctis,
(Nam laxas humero tunicas odêre fluentes.)
Quæque terit lumbos ſupremæ fibula braccæ,
Deſinit in conum, & genuum internodia lambit.
Crura rotunda; pedum brevis eſt menſura; ſoluti
In tergum longè pendent à vertice crines.
Tum ſi fortè vocet ſtimulans in prælia Mavors,
Africaque uſta fremat, belloque laceſſat Iberos:
Mucronem

Mucronem accingunt lateri, qui cuſpide longâ
Tenditur à capulo, quique uno perforat ictu
Corpora, & in tergum per crates pectoris exit.
Barba nigrans ambit tenui curvamine malas:
Auribus & retro flexos à fronte capillos
Excipiunt, teretique caput texêre galero.
Quid memorem gentes alias, Parthoſq;, Polonoſq;,
Atque Scythas, Perſaſque, ſagittiferoſq; Gelonos,
Omnes diſtinctos armis, facieque, ſonoque
Oris, & ornatus patriæ pro more gerentes?
Agmine poſtremo Æthiopes cum dentibus albis
Procedunt, flexâ circum cava tempora mappâ.
Brachia tota patent, nigroque argentea collo
Vincla gerunt: Brevibus cervix criſpata capillis,
Atraque frons, oculique rotatis orbibus albent.
Pluma latus pubemque tegit. Gens Solibus uſta,
Et Phaëthonteæ ſervat veſtigia flammæ.
Hos juxta Satyri, montanaque numina Fauni,
Corpora protecti foliis cannâque paluſtri
Incedunt. Tum ſylveſtri ſi fiſtula cantu
Perſonuit; coëunt alacres, pedibuſque biſulſis
Dant ſaltus incompoſitos, & brachia nectunt.
Lætitiam pompamque dies producit, anhelos
Donec equos pronus Sol gurgite mergit Ibero,
Accenditque oriens rutilantes Heſperus ignes.
Non cum luce tamen ceſſant ſpectacula. Seram
Ignibus ante fores ſtructis populuſque Senatuſque
Incendunt noctem. Celſæ quoque culmine turris
Artifici fabricata manu diſſolvitur ingens
Machina cum ſtrepitu, & flammas ad ſidera volvit.
At nunc meta eadem numeris & honoribus eſto.
Et tu Muſa rudem citharam jam comprime. Tantus
Scilicet ut digno celebretur carmine Princeps,
Virgilii ingenium & vitæ non ſufficit ætas.
Ante tamen poſito vates quam fine quieſcam,
Unum oro: facilis minimorum hæc vota clientûm

Suſcipe : Dent longæ Superi tibi tempora vitæ,
Canitiemque ſacram, & plenos virtutibus annos.
Dent ſervare gregem incolumem : dent vertere mor-
Sacrilegos, ſtabuliſque lupos arcere rapaces. (ſus
Denique dent rigidos poſitis jam cornibus hircos
Flectere, & Auſoniæ reduces adjungere caulæ.
Sic uno grex unus erit ſub Præſide, & ingens,
Vertice ſubmiſſo & meritum teſtatus honorem,
Romanam Petri Cathedram venerabitur Orbis:
Et Fidei tandem Impietas concedet avitæ.
Sic neque cogetur gladio ſævire potenti
Cæſar, & auxilio Romam fulcire gementem,
Indomitamque fugare aciem, quæ fulminis iram
Deſpicit inſultans, ſimul & jura omnia vertit,
Damnato Latium toties errore fatigans.



LIVINI
MEYERI
E' SOCIETATE JESU
ELEGIARUM
LIBER IV.

ELEGIA I.

DE VETERUM POETARUM

Laudibus, qui Elegias ſcripſerunt.

CAllimachi cupiat ſi quis cognoſcere manes,
Umbri reſpiciat nobile vatis opus.
Hic Latio Graias docuit ſermone Camœnas
Poſſe loqui, Muſas inſtituitque rudes.
Non mihi fas tenerum tecum conferre Properti,
Naſonem, aut à quo Delia nomen habet:
Aut aliquem invidiâ veterum perſtringere vatum.
Abſit ab ingenuis verſibus iſte furor.
Litem alius moveat triplici de carmine judex,
Cuique volet palmam, ſertaque prima ferat.
Hactenus arbitrium prudens ſuſpendit Apollo,
Noluit & Muſas vincat ut una duas.
Pierideſque Deæ vatum tria nomina gaudent
Æternis Pindi ſcribere corticibus.
Ite pares à me. Vario tamen ore Properti
Neſcio quid nobis dulce Poëta canis.
Et ſive Iönio victrices æquore puppes
Concinis : Iöniis Muſa ſuperbit aquis.
Sive triumphato ſcandis Capitolia Nilo:
In niveis victrix Muſa triumphat equis.
Seu reſponſuris illidis carmina ſaxis:
Reddita vocali carmina rupe ſonant.
Sive canis ſilvas : ſilvæ ſentire videntur,
Et flectunt virides ad tua verba comas.
Et tibi ſubſultant teneri cum matribus agni,
Paſtor ut argutis ludis arundinibus.
Et modò neſcio quid tumido grave pectore ſpiras,
Nunc teris imparibus mollia prata rotis.
Quidquid habet varium natura, Propertius æquans
Carmine, nativo cuncta colore refert.

Quid

Quid referam teneros vates quibus uritur ignes?
  Ah nimis ex vero turpis amator erat!
Me miserum! hâc unâ peccarunt parte Poëtæ.
  Cetera divini plena decoris habent.
Dum domitum bello Euphratem, Crassosq; piatos,
  Vectaque trans Tigrim Cæsaris arma canit:
Arduus in nubes & majestate verendus
  Fertur, quôque solet Jupiter ore, tonat.
Utque canit, Latius ruit in certamina miles,
  Et Furiæ circum tympana pulsa volant.
Idem inter virides æstivo sole cicadas
  Cantat, & ad cytisos pastor ovesque redit.
Scilicet huic omnes numeros concessit Apollo,
  Pleniùs & nulli Delphica favit humus.
Nec tibi displiceat si quando abruptus, hiansque,
  Nec semper leni tramite versus eat.
Crede mihi, placet asperitas in carmine, quando
  Aspera res verbis materiesque subest.
Aspice naturam, nihil est ornatius illâ,
  Et tamen hæc dispar, dissimilisque sibi est.
Flore nitet tellus, eadem quoque sentibus horret.
  Hîc nemora, hîc montes, hîc sata læta vides.
Aspice currentes variis erroribus amnes,
  Quos patriis fessos accipit æquor aquis.
Non semper placido labuntur flumina tractu,
  Sæpè strepunt raucis turbida vorticibus.
Felix, qui potuit naturam claudere versu,
  Et rebus facies arte referre suas!
Nec minùs Ausoniæ decus immortale Tibullus
  Pieriâ cultis versibus arte valet.
Hic elegos limâ tenuat, spacioque coërcet
  Comptior, & causas mille decoris habet.
Calliope infantem gremio formosa tenellum
  Abdidit, & nutrix ubera plena dedit.
Ferrea quid juvenem rapuistis fata Poëtam?
  Eheu! Parnassi gloria quanta jacet.

Non illo affectus variare peritior alter,
Et dare cycneis gemmea lora rotis.
Invida ſors inopi licet abſtulit omnia vati,
Optavit nullas carmine dives opes.
Martis opus cædes, ſtrictoſque exhorruit enſes,
Quæque venenatâ cuſpide tela volant.
Aöniis tantùm recitare ſororibus ignes
Cura fuit, dulces & celebrare choros.
Donec ſpectabis ſeptem de collibus orbem
Roma, tui vatis fama perennis erit.
Nec te prætercam Pelignæ gloria gentis,
Cui tulit ingenio Græcia nulla parem.
Credibile eſt toto Muſas Helicone relicto
Carmine natalem concelebraſſe tuum.
Phœbus & antiquam linquens ſine vindice Delon
Adfuit, ornatas flore tegente comas.
Ter puerum lauro, ter myrti fronde recenti,
Ter tetigit purâ Bellerophontis aquâ.
Et ventura canens tactis oracula cunis,
Impulit auratæ fila ſonora lyræ.
Creſce puer, dixit, mutataque corpora canta,
Sacraque Romanis non abolenda focis.
Terra parum fuerat, cælum tibi ſtellifer Atlas
Pandet, & ingenio ſubditus orbis erit.
Finibus Auſoniis orientia ſidera dices,
Et cur priſca Deis hoſtia cæſa cadat.
Et veteres ritus, ſacraſque ex ordine luces,
Unde ſtet antiquæ Relligionis honor.
Accipietque novum ſublimis epiſtola nomen,
Quam mittet Domino quæque relicta ſuo.
Ah utinam volucres pueri vitare ſagittas
Poſſis, qui teneri nomen Amoris habet.
Ille ſuum vatem Scythicas, non Cæſar, in oras
Mittet, & exilii tædia longa dabit.
Illîc obſcœnas elegis lacrymantibus artes
Optabis læſos non meminiſſe Deos.

De-

Desine, quid frustrà Capitolia lenta fatigas?
Accipiet cineres barbara terra tuos.
Te tamen æternis adscribet fama Poëtis,
Nomen & à longa posteritate feres.
Atque aliquis duri damnabit Cæsaris iras,
Supplicio dignum teque minore canet.
Finierat Phœbus : Parcæ doluisse feruntur,
Staminaque invitâ pulla dedisse manu.
Quam nequiit Cæsar, non Pontus, & ultimus orbis
Tollere, ab exilio Musa superstes erit.

ELEGIA II.

AD AMICOS

De adventu Veris.

CErnitis? aprici Boream vicêre calores,
Lunaque jam mites candida junxit equos.
Fusca colorato declinant nubila cælo.
Aspicit ex æquo Phœbus utrimque polos.
Garrulaque antiquos Prochne meditatur amores,
Ovaque queis foveat, tecta laremque parat.
Jam peregrina suas visura ciconia turres
Advolat, & rostro prospera signa dedit.
O ita! canescat profugis Aquilonibus orbis
Barbarus : ad Belgas mitior aura redi.
Belgæ, mite genus, potiùsque caloribus aptum
Et Zephyris : Zephyro proxima turba sumus.
Adde suburbani faveant quod vatibus horti,
Villaque quam circùm lucus & umbra tegit.
Et gelidæ vivis manant quæ rupibus undæ,
Quæque super purâ cymba palude volat.
En, ut cespitibus certant se fundere flores,
Gemmaque sub teneris luxurians foliis
Restituit primas ramis silvestribus umbras,
Dulce reclinatis vatibus hospitium.

Hùc citharam mihi Musa refer. Vos dura valete
Frigora, naturæ deficientis onus.
Non facit ad versus hiemis violentia nostros.
Si placet, hirsutos Æole tunde Getas.
Illìc te longos fas sit sævire Decembres.
Usta stet æterno barbara terra gelu.
Illùc, quidquid erit nebularum & grandinis, Auster
Devehat: ad Belgas tu modò Phœbe redi.
Sed nitidus purusque redi; tibi pampinus uvas
Debet, & è spicis aurea serta Ceres.
Tunc recubans silvæ vates sub fronde recenti,
Incipiam laudes dicere, Phœbe, tuas.
Intonsosque canam crines, Pythonaque cæsum,
Et quondam Actiaco prælia gesta mari:
Et medicas Pindi crescentes vallibus herbas,
Quas sacer æterno Pegasus imbre fovet:
Delphicaque extremis quæsita oracula terris,
Nec cedunt magno quæ tua templa Jovi:
Et frontem semper juvenem, expertemque senectæ,
Et referam citharæ carmina prima tuæ:
Carmina quæ constat te post insana Gigantum
Prælia, victori concinuisse Jovi.
Ergo redi, terrisque novos immitte calores.
Dî faciant, numquam pigra recurrat hiems.

ELEGIA III.

IN PODAGRAM

Verno tempore redeuntem, quo morbi alii levari solent.

EN iterum nostros morsu depascitur artus,
Hei mihi Tartareo nata podagra lacu!
Hujus ad aspectum fugiunt Somnusque, Famesque,
Nec tua dona Ceres: nec tua Bacche juvant.
Quà graditur, Dolor & Gemitus comitantur euntẽ,
Et Macies, quæ vix ossa perusta tegit.

Credi-

Credibile eſt nigro ſerpentum ſanguine paſtam
  Inviſum terris impoſuiſſe pedem.
Quodque magis cruciat, ſenſumq; inducit amarum,
  Illa renaſcentis tempore veris adeſt.
Vere tamen reliqui fugiunt veniente dolores,
  Corporibuſque ſalus læta redire ſolet.
Quantum erat, ô ſuperi! differre in tempora brumæ
  Non vitanda malæ toxica nigra luis.
Omnia tunc languent: tunc anni pigra ſenectus
  Incipit, & rebus forma vigorque perit.
Arida tunc varii redeunt in corpora morbi,
  Vixque domus querulis luctibus ulla vacat.
Huic oppreſſa gravi quatiuntur pectora tuſſi:
  Hunc petit alternâ febris anhela die:
Illi lethiferâ venter diſtenditur undâ:
  Huic geminum mordax urit arena latus.
Certè ego perferrem meliùs quemcumque dolorem,
  Si mea cum multis juncta querela foret.
Scilicet eſt aliquod communi in ſorte levamen:
  Quodque ferunt multi, leniùs urget onus.
Flamma minùs torquet quæ latè incendia volvit,
  Quàm privata tuas quæ populatur opes.
Hæc igitur noſtros incendit cauſa dolores,
  Quod cogar, ſalvis omnibus, eſſe miſer.
Cetera cùm foveat, ſoli mihi mitior aura
  Aſperior brumâ, deteriorque redit.
Aſpice naturam, cùm ſol tepefacta reducit
  Tempora: nîl illâ lætius eſſe poteſt.
Tunc mundi facies renovatur: tunc mala cedunt
  Frigora: tunc prægnans rore tumeſcit humus.
Sedula tunc pullis implumibus incubat ales,
  Piſcis & altrici ſemina credit aquæ.
Quæque diu ſine fronde ſtetit, ſine floribus arbor,
  Pubeſcit, niveas induiturque comas.
Omnia cùm valeant, ſumantque à ſole vigorem:
  Unum, quem lædant, tempora veris habent.

Ergo

Ergo temperies cunctis gratissima rebus,
  Lethiferum nostro corpore virus alit.
Noster & ex ipso sumit medicamine vires
  Morbus, & auxilio quod solet esse, gravat.
Quid mihi nunc prodest imbres vitasse, nivesque,
  Prataque brumali candida facta gelu?
Quique nocent fibris, nervosque vaporibus urunt,
  Manè pruinosos non adiisse lacus?
Quid servata juvat mensæ frugalis honestas,
  Asparagos timidâ nec tetigisse manu?
Denique quid juvat arbitrio vixisse medentûm,
  Collaque difficili supposuisse jugo?
Num minùs articulos medicis incognitus humor
  Vexat, &, heu! noctes non sinit ire breves?
Ite procul fallax medici genus: arte caducâ
  Nullam languenti si mihi fertis opem.
Nec sale conditam, nec aceto tangere cœnam,
  Nec cancro vesci, nec mihi pisce licet.
Omnia, cùm valeo, mihi fercula grata negatis:
  Cùm jaceo, nihil ars, quo relevemur, habet.
Nîl mihi vobiscum posthàc. Vos consulat ille,
  Munere qui vestro bis miser esse volet.
Vos quoque, quos cruciant eadem contagia morbi,
  Æternum medicis dicite, quæso, vale.
Unum erit auxilium patienter ferre dolorem.
  Certior hâc nostris nulla medela malis.
Adde quod æternæ requies ventura salutis
  Non longi merces longa doloris erit.
Cumque diu justorum animæ crucientur ab igne,
  Post obitum flammæ spe brevioris alor.
Hic dolor offensi minuet mihi vindicis iram,
  Supplicio partem detrahet ille meo.
Hâc spe nulla brevis vitæ tormenta recuso.
  Omne erit ardenti mitius igne malum.
At vos, ô medici, mea si dementia læsit,
  Parcite: mordacis vox fuit illa mali.

Vos

Vos insana decet contemnere verba furentûm,
Irrita quæ sanâ postmodò mente velint.
En ego nunc stolidæ revoco convitia linguæ,
Et moneo, dictis ne sit habenda fides.
Multa genus vobis debet mortale, nec arte
Utilius medicâ, quà patet, orbis habet.
Sæpe necaturos vario medicamine morbos
Pellitis, & vitæ tempora longa datis.
Nec quisquam est adeo letho conterminus, ut non
Incolumis vestrâ restituatur ope.
Sola Machaoniis non est sanabilis herbis
Quæ mordet nervos articulosque lues.
Fortè tamen, vestris sanus si legibus utar,
Rariùs, aut solitò mitiùs æger ero.

ELEGIA IV.

DE VITA BEATA,

Ubi præ ceteris ruris simplicitas commendatur.

DIscite mortales vitæ præcepta beatæ,
Quôque solet virtus tuta latere loco.
Vera canam : non me docuerunt fallere Musæ,
Et nimiùm vates candida turba sumus.
Virtus Eois variata palatia gemmis
Præterit : immodicus crimina luxus habet.
Non raucum subit illa forum; prætoria vitat:
Atria sollicitis litibus ista vacant.
Non malè quæsitas peregrino litore merces
Advehit insano per freta longa mari.
Otia ruris amat. Pateat Neptunus avaris,
Quæque sub infami gurgite monstra natant.
Unda vale : mihi tuta placent : ego rura bidente
Parva colam, tumidos despiciamque Notos.
Ut pretium desit, pretium secura voluptas
Pensat : naufragio gemma petita venit.

Quis

Quis petat Eoos freta per ſaxoſa pyropos,
Quaſque ferax merces ultimus orbis habet?
Aptiùs hîc carpis, nullis terrentibus Euris:
Matura incurvis poma ſub arboribus:
Quæque racemiferis dependent vitibus, uvas,
Et quæ mella cavo cortice condit apis.
Aſt ubi ſol feſſum declinat ſerior axem,
Dum roſeo veſper cuncta colore notat,
Quàm bene vicinis epulæ ſonuêre ſub antris!
Credite, ceſpitibus nulla procella nocet.
Innocuis ſed rivus aquis, experſque veneni
Labitur, & viridem rore maritat humum.
Et philomela ſuper certat, volucreſque ſonoræ
Pæne inter cyathos, ferculaque ipſa volant.
Quis non hîc curaſque graves, & pectoris ægri
Vulnera, ſollicitos abjiciatque metus?
Hactenus eſt tutum. Via longior omnibus undis
Terret, & horrendo mota tridente ſonat.
Vos quoque turritæ celſis cum mœnibus urbes
Cedite, non apta eſt gratia veſtra mihi.
Rure quies, non urbe venit; mens rure beatur.
Livor abeſt : Candor Simplicitaſque colit.
Rura colunt Superi : paſtor nam Phœbe fuiſti.
Luna tibi ante alias Latmia terra placet.
Jupiter in ſilvis & Creſſæ collibus Idæ
Vagiit, & puero mella tuliſtis apes.
En ſuccincta feras ſequitur Diana fugaces,
Pinifer & Faunos Panaque lucus habet.
Bacche pater mites decerpis collibus uvas,
Nec pudor eſt ederis implicuiſſe caput.
Quid memorem Satyros, per quos cava fiſtula primos
Edidit ignotâ garrulitate ſonos?
Flava Ceres campis & cælo gaudet aperto:
Prima rudem ferro ſollicitavit humum.
Nec vada, nec rivi, nec eunt ſine Numine fontes,
Quaſque tegat Nymphas quilibet amnis habet.
Deni-

Denique nullus agros de tot Cæleſtibus odit.
  Præfertur patrio rus geniale polo.
Simplicitas Dîs nuda placet, non atria curant
  Aurea, non faſtus aula ſuperba tuos.
Hîc Fraus, hîc habitant vigiles ad crimina Curæ,
  Sæpius & Baccho miſta venena rubent.
Ambitioque tibi ſimiles facit Icare multos,
  Et Phaëtonteæ ſemita trita viæ.
I nunc, & Zephyros demens & flumina vita.
  At me ruricolæ vivere more juvet.
Ut mea nocturno defigam lumina cælo,
  Et diſcam curſus candida Luna tuos.
Suſpiranſque alti ſtellata palatia mundi,
  Languidus (ô!) patriæ tangar amore meæ.
Hîc Pietas, hîc cana Fides veſtigia jungent,
  Et comites Virtus ſedula quotquot habet.
Et modò me colles, humilis modò ripa tenebit,
  Tollat ut ardores rivus & umbra meos.
Et potero longo tellurem vertere ſulco,
  Nec patiar laxas vitibus ire comas.
Arbor & inciſo peregrinos cortice fetus
  Proferet, & menſis grandia poma dabit.
Et nunc dempta cavo tollam ova recentia nido,
  Quæque latent, foliis abdita præda, nuces.
Ipſe fatigatos ducam ad præſepia tauros,
  Ipſe feram niveo pabula ſera gregi.
Matribus occurrent teneri balatibus agni,
  Uberaque adpulſo plena prement capite.
Divitiæ valeant, valeant cum litibus urbes,
  Voſque, quibus ſomnos cura dat atra breves.
Me juvet ignotis finire mapalibus ævum,
  Inque ſuburbanâ conſenuiſſe casâ.
Donec pallida mors, vitalibus ultima rebus,
  Injiciat furvas in mea membra manus.
Tum verò in ſacra corpus tumuletur arena,
  Ilicis obſcuræ quà vetus umbra cadit.

Non

Non ego marmoribus Regum, magnisque sepulcris
Invideo, cineri sit satis urna meo:
Parva quidẽ, tamen ampla satis sine sumptibus ullis,
Quam suprà tellus non onerosa tegat.
Sospes ab exequiis cælestes spiritus oras
Aspiciet felix, Elysiamque domum.
At vos, qui fastu contemnitis ista superbo,
Cerberus expectat, Cimmeriusque lacus.

ELEGIA V.

UNDE JUPITER STATOR

A Romanis olim appellatus sit.

NUnc Jovis incipiam Statoris dicere causas,
Nominis antiqui quod sit, & unde decus.
Solemnes dederat populo spectacula ludos
Romulus, & fictis annua sacra focis.
Venerat ad pompam latè vicinia simplex,
Nescia fallaces turba latere dolos.
Dum populus plaudit, dum læta altaria fumant,
Incidit in casses, Romule, præda tuos.
Virginibus raptis matres flevêre Sabinæ.
Flere vetat Tatius, Bella parentur, ait.
Roma recens stabat, populis sublime futuris
Imperium: parvæ tunc locus urbis erat.
Hùc celer, & vindex, collecto flore juventæ
Advolat, & muros obsidione premit.
Quique rapi jussit, raptas defendere bello
Admonet, & causâ corda potente movet.
Ut repetat, Tatio; velit ut retinere, Quirino
Suadet amor: stimulo pugnat uterque pari.
Agmina constiterant nudis splendentia telis,
Principium pugnæ buccina curva dedit.
Fraxineam Tatius libraverat arduus hastam.
Pectus Romani perculit illa ducis.

Pri-

Primus Tarpeium tepefecit ſanguine montem
  Hoſtius; huic Latiæ cura cohortis erat.
Urgent victores fauſto clamore Sabini.
  Ortus in Auſonio milite terror erat.
Agmina dum titubant, murorum conditor aras
  Reſpicit, & fruſtrà ſupplicat ille Jovi.
Terga fugæ dederant: medio ſublimis in arvo
  Romulidûm Tatius clade ſuperbus, ait:
Hæc pro virginibus cecidit prior hoſtia raptis.
  Quò fugitis? nullos nunc habet ara Deos.
Juſta profanatos victoria vindicat ignes,
  Et Venus ultrices admovet ipſa faces.
Diſce Deos fictis, Tatium quoque fallere ſacris
  Impie, de Superis hæc tibi pœna venit.
Gaude ſorte tuâ nigris Meneläe ſub undis,
  Et iterum hîc pœnas altera Troia dabit.
Romule debueras cladis memor eſſe priorum,
  Exemploque avidas abſtinuiſſe manus.
Et minor eſt Paridis quàm veſtri infamia raptûs:
  Fecerat hunc Helene, ſed tamen una, reum.
Una parum fuerat, multas violare Quirinus
  Suſtinuit, numero multiplicante ſcelus.
Adde quod invitas rapuiſtis, at ille volentem.
  Dignior hoc Troiâ Roma perire fuit.
Dixerat: at contra Romanæ conditor urbis
  Inſtat, & armatas tendit ad aſtra manus.
Mars pater ô! (noſtri fruſtrà niſi ſanguinis auctor
  Crederis, & Superos Silvia finxit avos)
Tuque Palatinæ cuſtodia Jupiter arcis,
  Adſis militibus dexter uterque meis.
Vos turpem prohibete fugam, vos ſtare Quirites
  Cogite: ſervati debita thura dabunt.
Non Veneris nobis temerare cubilia ſtupro
  Cura fuit, facto ſimplice crimen abeſt.
Quis furor eſt faſtu contemnere noſtra ſuperbo
  Conjugia, inſtantes & removere procos?

Jupi-

Jupiter ignoſcas, longos tibi Roma nepotes
Spondet, io nuptis tu modo dexter ades.
Audiit, inſpiratque animos, martemque fugatis
Integrat : auxilio eſt Roma ſuperba Jovis.
Pace Duces coëunt, finitaque bella quieſcunt.
Accipiunt generos hoſpita caſtra ſuos.
Urbs invicta manet. Statori Romulus ex hoc
Templa Jovi, ſacram conſtituitque diem.
Nam quia Rex Superûm fugientes ſtare Quirites
Juſſerat, à ſtando nomina Stator habet.

ELEGIA VI.

DE CRYPTIS SUBTERRANEIS,

Propè trajectum ad Moſam.

MOenia Trajecti tenui mons tramite diſtans
Reſpicit, ad fluvii prætereuntis aquas.
Noctis magna domus : ſubter cava viſcera terræ
Duceris, occultas rupe tegente vias.
Non duce ſe quiſquam, non ſe ſine lumine nocti
Miſceat : audentem talia, fata manent.
Tecta priùs nullo vinces Minoïa filo,
Dædaleâ & poteris ſoſpes abire domo,
Quàm labyrintheo greſſus revocare ſub antro,
Dum miſer incertis quæris iter manibus.
Non tamen hîc formamq; viri taurique bimembrem,
Non timeas clauſis bella movenda feris.
Sat tenebræ terroris habent, vaſtique receſſus,
Cæcaque in innumeras compita ſecta vias.
Nuper ad ingreſſus antri perterritus hæſi.
Viſus eram Stygios vivus adire lacus.
Pandit longa fores nigro ſpelunca receſſu,
Irradiat pronus limina prima dies.
Vix tria ſuſpenſo tuleram veſtigia greſſu,
Luce dies ſenſim deficiente cadit.

Dein

Dein tenebras face diſcutimus, noctemque fugamus
  Ignibus : ex omni ſemita parte patet.
Et nunc porticibus longis ſpaciamur, onuſque
  Fornicis ex æquo multa columna tenet.
Et modò jurares lato ſuccedere templo,
  Nunc humilis curvo vertice radis iter.
Longiùs ingreſſus (caligine terga ſequente)
  Tendis ad argutæ garrula ſaxa Deæ.
Rupibus hîc longum reſonat vocalibus Echo,
  Sola peregrinos docta referre ſonos.
Et memor antiquæ nimiùm formoſa repulſæ,
  Montibus his miſero tuta pudore latet.
Parte aliâ ſaxis ſtillat lacrymantibus humor,
  Liquitur & tenui fonte perennis aqua.
Hæc ubi tranſieris, vocemque repreſſerit Echo,
  Mille per ambages feſſus ad antra redis.
Egreſſuſque diem lætus ſolemque ſalutas,
  Læſaque inaſſuetâ lumina luce ſtupent.
Quodque magis mirere, ſeges ſuper & bona meſſis
  Luxuriat, celſis conſpicienda jugis.
Immenſique cavo nituntur fornice montes,
  Et ſpeciem mundi terra latentis habet.
Vix mihi credetis, ſed credite : prœmia falſi
  Nulla peto; teſti res dabit ipſa fidem.
Non hoc vincat opus fumoſis Veſvius antris,
  Ætnaque qui Siculas murmure terret aquas.
Si quod habent nomen, flammis irâque Gigantum
  Dedecorant : tellus ſulphure noſtra caret.
Quidquid in Auſonia poſuit natura ſuperbum,
  Id ſuperant montes, terra Brabanta, tui.
Quos tibi ſpectandi ſubeat ſi cura viator,
  Dicetur noſtro carmine majus opus.

ELEGIA VII.

AD JACOBUM WALLIUM

Cùm in extrema ſenectute adhuc carmina ſcriberet.

ERgo paulatim vacuas properamus ad urnas,
  Et ſenibus prono verba tremunt capite.
Nec juvat, Aonio vates quod luſeris antro,
  Triverit & doctas ſacra corona comas.
Nigra importunæ pulſanda eſt janua mortis
  Omnibus : has leges ferrea fata ferunt.
At tu dignus eras nullam ſentire ſenectam.
  Sic decuit Phœbum conſuluiſſe tibi.
Qui puero citharam, citharæ qui tradidit uſum,
  Numen & ad cultum contulit omne tuum,
Debuerat ſtabilem pariter tribuiſſe juventam.
  O ! ubi ſunt herbæ Delphica terra tuæ !
Quid queror immites properare volatibus annos?
  Injiciet nullas vana querela moras.
En trahit in præceps tremulum declivior ætas,
  Occupat & ſenſus ægra ſenecta tuos.
Lumina jam majus poſcunt errantia prælum,
  Atque aliquid claro ſidere noctis habent.
Vix pes officium ſubit & veſtigia firmat,
  Exileſque cavâ percipis aure ſonos.
Invalidumque latus declinat ſpina, tremitque
  Dextera rugoſis arida pollicibus.
Solus in intactis vivit pulmonibus ardor
  Igneus, & Phœbi ſpiritus ille manet.
Quod venit à Superis non eſt mortale, nec ullas
  Temporis aut morbi ſentit adeſſe vices.
Corpora mutantur ſenio, quæruntque ſepulcrum,
  Deque mora lethi ſæpè queretur anus.
Quid referam Priami, Pylii quid Neſtoris annos?
  Hei mihi ! quod fuerant, ignis avarus habet.

Felix!

Felix ! ingenio qui temporis altior alas
 Effugit, ætatis nec grave ſentit onus.
Ecce Tomitanæ quem deflevêre volucres,
 Carmen olorino concinit ore ſenex.
Et tamen extremum vates languebat ad Iſtrum
 Exul, & exhauſtis viribus æger erat.
Nec deerant animo Scythicæ faſtidia terræ,
 Longaque quæ gelidus frigora Pontus habet:
Bellaque, præcipiteſque aurâ ſtridente ſagittæ,
 Infeſtuſque truci ſemper ab hoſte locus.
Et quod præcipuè miſerum fleviſſe putandum,
 Mitior ad nullas Cæſaris ira preces.
Omnia cùm premerent, vicit tamen omnia fervor
 Igneus, & fato mens bona major erat.
Scilicet Aoniæ ſuperabant omnia Muſæ,
 Et comes in longas ſola Thalia vias.
Hujus ad exemplum tua ſit facunda ſenectus,
 Quoſque canat verſus vena ſenilis habet.
Et ſive Iönio, ſeu tu canore Latino
 Ludis, habet priſcos utraque Muſa ſales.
Ut malè deficiat corpus, tamen integra mens eſt:
 Hæc manet ingenii firma tenaxque ſui.
Illa per immenſum ſpaciabitur incola cælum,
 Carminaque ad Superos nobiliora canet.
Scilicet agnati repetunt commercia cæli,
 Quos niger hinc vates eripit ille dies.
Excipe, quos teneræ damnat laſcivia Muſæ.
 Hos procul Elyſio cymba ſevera vehet.
Sera tamen Walli veniat tibi, quæ cava claudet
 Lumina, te Belgis eripietque dies.
Tunc poterit verſis ad fontem currere Liſa
 Fluctibus, & ſciſſis flere Thalia comis.
Ipſe ego non figam viridi tua buſta ſmaragdo,
 Non tua marmoreus claudet & oſſa lapis:
Sed cineri fundam violas, lauroque perenni,
 Æternùmque ederæ fronde virente tegam.

Illìc præterienſque leget, flebitque viator
  Quæ meus ad tumulum carmina ſcribet amor:
Hîc ſacri recubant Heliconia pectora Wallî.
  Acceſſit ripæ gloria, Liſa, tuæ.
Altera de cultis veniet tibi fama libellis,
  Poſteritaſque tuum longa videbit opus.
Donec & arſuri veniant rata tempora mundi,
  Wallius æterno carmine notus erit.
Nîl moror, infernæ jam ſolvite penſa ſorores.
  Vatibus à tumulo gloria major adeſt.

ELEGIA VIII.

ORPHEI QUERELA,

Poſt Euridicen bis amiſſam.

DAmnati reditus, & lucis amara cupido,
  Et malè per Stygios umbra revecta lacus!
Biſque oculis ſperata tuis malè ſidera conjux!
  O cithara in luctus facta ſonora novos!
Non potuit Lethe, non Styx prohibere canentem,
  Tangeret infernos ne mea Muſa Deos?
Scilicet Euridicen dum ſic conceſſit amanti,
  Hei mihi! quàm nobis Æacus hoſtis erat!
Nonne fuit melius ſi me clauſiſſet Averno,
  Torvus in obſcuro qui regit amne ſenex?
Euridicen certè fato conjunctus haberem.
  Diviſis gravior nunc ſua pœna venit.
Me Rhodope, regio tenet illætabilis illam.
  Ipſe ſuam fruſtrà vir cupit, illa virum.
At malè lætus eram, nec inania vota timebam,
  Audierat cantus pallida turba meos.
Scilicet ut fuſcas audax orator ad arces
  Immiti cecini carmina blanda foro:
Tempore vidi illo vultu Minöa ſereno,
  Et Phlegethonteum leniùs ire vadum.

Aridus

Aridus oblitas neglexit Tantalus undas,
  Et Tityus nullas pectore ſenſit aves.
Siſyphus in ſaxi tunc primùm mole reſedit,
  Supplicium tacitæ continuêre rotæ.
Quæque priùs fagos & ſaxa ſequentia duxit,
  Experta eſt faciles hîc quoque Muſa Deos.
Reddite, dicebam, dulces mihi conjugis annos,
  Debuit ad veſtras ſerior ire domos.
Quò rapitis teneræ florentia tempora vitæ,
  Filaque præcipiti ſcinditis atra manu?
Parcite, ſat celeri volvuntur tempora motu,
  Et nimiûm fati prona breviſque via eſt.
Non opus eſt ferro, non nigri peſte veneni,
  Non avidam morbis accelerare necem.
Parva mora eſt, veniet tacitè rugoſa ſenectus,
  Corporaque ad tumulum ſponte caduca trahet.
Vos, ſi juſta peto, precibus faveatis amantis,
  Et vidui mites damna levate tori.
Ut puto, vos nullo conjux mea crimine læſit,
  Nec meruit luces noxia vita breves.
Audiit & Minos & qui regit Æacus umbras,
  Nuptaque ſub certa conditione datur.
Dum petitur tellus, retrò ſi lumina flectas,
  Irrita ſunt culpâ dona futura tuâ.
Lætus ago grates, citharæque revertor ad uſus,
  Et Dominæ carmen connubiale cano.
Illa comes ſequitur : pallentes linquimus oras,
  Et vada lethææ trajiciuntur aquæ.
Dum vehimur, pigræ nocuêre papavera ripæ,
  Excidit ex animo lexque Deuſque meo.
Noverat hoc Minos. At non ego fallere doctus
  Condebam tacito gaudia vana ſinu.
Crudeles Divi! quid me luſiſtis amantem,
  Redditaque eſt uno raptaque nupta die?
Hei mihi! cur umquam fallacia viſere regna,
  Perque feros manes impetus ire fuit?

Cur mihi Perſephone viſa eſt mollita canendo
  Ferrea Tartarei vertere jura fori?
Credule, neſciſti non exorabile fatum,
  Neſciſti ſurdis auribus ire preces?
Cùm ſemel eſt Stygio Proſerpina rapta Tyranno
  Dicitur hùc fruſtrà vota tuliſſe Ceres.
Illa quidem teſtata Jovem eſt, teſtata Dianam,
  Et quæcumque triplex Numina mundus habet.
At Dea pro natâ gemitus effudit inanes.
  Non audituri litoris iſta fides.
Vera tamen Stygiis reditura paludibus uxor
  Juncta comes lateri (non ego fallor) erat.
Regnaque jam mundi mecum melioris adibat,
  Quà via clivoſo panditur arcta jugo.
Agnovi ſolitumque gradum, conſuetaque verba,
  Quo nupta eſt primum tempore, talis erat.
Deque colo nebant triplices nova ſtamina Parcæ,
  Ceſſerat & roſeo luridus ore color.
Adde quod Alcides invitis Theſea fatis
  Dicitur antiquo reſtituiſſe lari.
Nec timuit furto Ditem vexare recenti,
  Cerberon audaci traxit ad aſtra manu.
Cauſa mea eſt melior: cur non mihi ducere manes
  Conjugis, & cantu munera pacta licet?
At retrò ſpectaſſe nocet. Periiſſe ſub ipſo
  Debuerat flexu, vel riguiſſe caput.
Ah ego quàm vellem, ne tu dilecta periſſes,
  Starem Trinacriis ſaxea forma jugis!
Præcipitive fugâ tecum revolutus abiſſem,
  Nec mihi pòſt miſero nota fuiſſet humus.
Euridice tamen ignoſces; mihi ſumma petenti,
  Nulla pedum pulſu ſigna ſequentis erant.
Reſpicio infelix : at dum mea lumina flecto,
  Ipſa cadis pronâ ſæpè voluta viâ.
Non aliter quàm ſi vivo quis corpore membrum
  Dividat, attonito voxque colorque fugit.

Utque animus rediit, de fatis questus iniquis
  Aspersi lacrymis proxima saxa meis.
Optantemque mori Stygiæ vetuêre sorores,
  Invitus superas cogor adire domos.
At vos ô cari citharæ solamina manes
  Accipite; hæc vobis ultima dona fero.
Euridicen silvæ, Euridicen cava saxa sonabunt,
  Semper in Euridices nomine mœstus ero.
Et jam nulla meos inflectet femina sensus,
  Vincula conjugii nec renovabit amor.
Luridus, & solis traducam montibus annos,
  Aggemet & nostris turtur amica malis.
Umbra maritalem donec tua viderit umbram.
  Velocem portent hunc mihi fata diem!

ELEGIA IX.

AD AMICUM

Fidei propagandæ causâ in Americam navigantem.

SIc te Divus amor patriâ procul ire relictâ
  Cogit, & Hesperiæ visere regna domûs?
Carbasaque ignotis audacia pandere ventis,
  Phœbus ubi fessos condit anhelus equos.
Usus amicitiæ nec te, lacrymæque tuorum
  Flectere, sollicitæ nec valuêre preces?
Non pater absentis poscens solatia nati,
  Non genitrix passas imbre rigante comas?
Turbaque tot fratrum, quorum suspiria nullus
  Finiet, à portu te properante, dies.
Nec te, quod primis fueris mihi junctus ab annis,
  Mutuus ex aliqua parte moratur amor?
Aspera montano riguerunt pectora ferro.
  Votaque cum nullo pondere nostra cadunt.
Ibis, & (ô!) numquam rediturus! te procul æquor
  Ereptum ex oculis in vaga regna feret.

At ſaltem ſcopulos & mille pericula ponti
Reſpice : fallaces trux habet unda vias.
Quid memorem virides immania corpora Phocas,
Cæcaque veloci ſaxa timenda rati?
O quoties validis malum inclinantibus Auſtris,
Pro tumulo Superis anxia vota feres!
Non tibi vicinos ſpondebit navita portus.
Haud tenui tellus diſtat utrimque freto.
Immenſum eſt quod ſcandis iter: dum labitur annus,
Vix Braſilos fines ſalva carina premet.
Ne tamen ignores (quoniam dare lintea certum)
In tabula pictas exhibet orbis aquas.
Aſpice quà patriis illudit fluctus arenis:
Ut pateat vaſtis Nereüs æquoribus.
Litora Gallorum, circùmque Britannica ſaxa
Oceanus gyro te feret ipſe ſuo.
Naufragiis infame fretum; ſyrteſque latentes
Occulit infido Tethys iniqua ſinu.
Quod ſupereſt, ponto pinus tua curret Ibero.
Hinc vagus Æorides, Heſperideſque leges.
Scilicet hîc notas ſpectabis denique ſtellas,
Nec mora jam ex oculis Belgicus axis erit.
Forſitan & tanges torrentem ſidere Zonam,
Oppoſitum Boreæ conſpicieſque latus.
Sideraque alterius vertentia cardine mundi,
Et primùm Auſtrali ſigna notanda polo.
Æole parce precor, ventoſque immitte ſecundos,
Et freta cærulei ſternite tuta Dei.
Veſtrum crimen erit talis jactura carinæ.
Qui vehitur, cælo vela jubente movet.
Non ille Americes ſpectator inutilis urbes
Viſere, non merces claſſe referre parat.
Eſt aliud quò vota pius, curſuſque, ratemque
Dirigit, inſtabiles ſpernere doctus opes.
Eminùs albentes metitur meſſibus agros,
Quæque ſuas poſcunt barbara rura manus.

Hîc fidei radiis preſſas caligine mentes
  Imbuet, & ſacris crimina tollet aquis.
Cæleſteſque animas patrio tranſcribet Olympo,
  Deque triumphato prœmia Dite feret.
Jam nunc abſentem Stygiæ tremuêre paludes,
  Lapſaque de templis Numina vana ſuis.
O! ne ſpes tantas hiemis violentia fallat,
  Neu bibat æquoreas naufraga puppis aquas!
Neve ratis densâ circùm valletur arenâ,
  Quà fluit arenti parcior unda vado.
Sed tamen hoc melius, quàm ſi te cura parentum
  Indecorem patriâ contumulaſſet humo.
Quid petitur noſtris niſi mors ignava ſepulcris?
  Verte ratem, comitem me tibi junget amor.
Et mihi facta via eſt, & me feret æquor euntem,
  Eſt mihi per gentes impetus ire feras.
Non me terruerint pharetræ, non lethifer arcus,
  Quæque illic ſævâ bella bipenne gerunt.
Dummodò Romanæ rudibus primordia legis
  Sacra feram, ritus edoceamque novos.
Puppis ubi eſt, ventuſque favens? retinacula nautæ
  Solvite. Provehimur: patria terra vale.
Quid loquor, aut ubi ſum, quo nos inſania dulcis
  Abripit? Heu votis terra negata meis!
Te via longa juvat, nos clauſis mœnia portis,
  Duraque neſcio quo fata adamante tenent.
I, vince Heſperios populos, properavit ad Euros
  Et comites noſtros altera claſſis habet.
Scilicet ut Belgas videat domus utraque ſolis,
  Sacraque Chriſtiadûm mundus uterque colat.
Nec timeas noſtro madefactas ſanguine clavas,
  Crudaque nodoſis vulnera ſtipitibus.
Martyribus fœcunda dabit nova germina tellus,
  Et glebâ fructus uberiore feret.
Barbara cæleſti manſueſcent pectora cultu,
  Moxque dabunt victas relligione manus.

Tu

Tu modò da ſegeti falces, ſpicaſque ſecato.
Accipient fruges horrea plena ſuas.
Nec mora, deſertis habitabunt oppida ſilvis,
Juſtaque civili fœdera lege colent.
Et tandem humano deſueſcet ſanguine veſci
Americe, & tumulis funera tota feret.
Forſan & eveniet cùm te complexus ad Indos,
Non expectatâ litora puppe premam:
Sicque ſuperfuſis adſtringam colla lacertis,
Ut ſciat iſta memor dicere poſteritas.

ELEGIA X.

AD APOLLINEM

Pro pace.

O Pindi decus, & citharæ moderator Apollo,
Et primus mites inter habende Deos!
Carmina quæque novem canitis diverſa ſorores,
Ducitis & faciles voce juvante choros:
Dicite, Flandriacis ecquis feret otia terris,
Blandaque compoſitâ fœdera pace dabit?
Quæ mala diſcordes impellunt toxica Reges?
Sanguine mutatis labitur amnis aquis.
Quando erit ut poſito miteſcant ſecula bello?
Fallimur, an veſtræ juncta querela mea eſt?
Communis nos cauſa movet: fera prælia vates
Odimus, & Muſæ tempora pacis amant.
Odiſtis ſævas mitiſſima Numina cædes,
Odiſtis placidæ triſtia bella Deæ.
Ipſe cruentatos Phœbus pater horruit enſes,
Horruit & vultus Mars violente tuos.
Non hunc arma juvant, ſed operti floribus horti,
Quos circùm puro nectare rivus alit.
Sed nemus, & frondes inter philomela recentes,
Sed teſtudineæ carmen inerme lyræ,

Otia-

Otiaque & mites in apricis collibus auræ,
  Et quæ vomeribus gramina reddit humus.
Pomaque quæ cultis Autumnus ſpondeat hortis,
  Uvaque ſub flavis aurea palmitibus.
Iſta decent te regna pater. Vos arma tubæque
  Ite procul : meritis vulnera ferte Getis.
Non tua ſunt Marti, ſed dulcibus apta Camœnis
  Pectora ; nec diſpar vatibus ardor ineſt.
Blanda graves veluti fugiunt examina fumos,
  Sic procul à curis libera Muſa fugit.
Hæc eadem Scythicum vates periturus ad Iſtrum,
  Olim lugubri carmine queſtus erat.
Quid fuit ut Latias optaret viſere ſedes,
  Et fugere extremo rura propinqua polo?
Nempe quod Auſoniis depulſo finibus hoſte,
  Auguſtus populis cauſa quietis erat.
Nec deerant ſocii, concordia pectora, vates,
  Nec deerant numeris apta theatra ſuis.
Prælia Sauromatas urgebant aſpera gentes,
  Cana gelu, nullo vere tepebat humus.
Hoc fuit ingenium potuit quod frangere tantum:
  Juſtior hâc vati nulla querela fuit.
Hujus ad exemplum (quamquam mea diſtat ab illo)
  Excuſanda ſuo tempore Muſa venit.
Scribimus, & ſævo muri pulſantur ab hoſte,
  Uſtaque Troianâ mœnia clade gemunt.
Me miſerum! exercent cur bella tenacia Belgas,
  Dedita nec Muſis pectora Marte carent?
Pax redeat, poſitoque metu te candida vatum
  Turba colet : ſacris conſule Phœbe tuis.
Non Belgis vates, ſed vatibus otia deſunt,
  Et Mæcenates tempora dura negant.
Ipſe vides languêre inopi mea carmina venâ,
  Vix aliquid vivi dura vigoris habent.
Qualiacumque tamen judex mirabitur æquus,
  Si ſciat hæc gladios inter & arma cani.

Quis,

Quis, nisi mentis inops, sterili de litore messem
Speret, & in sicco crescere monte rosas?
Lilia quis scopulis, quis acutis mitia saxis
Poma, vel è pleno flumine mella petat?
Quàm volucres silvis, quàm gaudent rore cicadæ;
Quàm viridi taurus gramine, piscis aquis:
Otia tam vates mansuetaque regna sequuntur,
Antraque sollicitos non habitura metus.
Otia præcipuè Phœbum precor, otia Musas.
Quid magis optari dulce piumve potest?

ELEGIA XI.

LUDOVICI MAGNI

TRAJECTIO RHENI

Ex Gallico Poëmate D. Boileau Latinè reddita.

EMinet Alpinis Adulæ mons nobilis oris,
Fonte suo Batavum notus ad usque mare.
Hîc caput & ripas celatus arundine Rhenus
Spectat nascentes ire superbus aquas.
Fortè sopore gravis muscosæ languidus urnæ
Incubuit, tremulo quà strepit unda vado:
Cùm subitis ripæ clangoribus insonuêre,
Et cava tinnitum vallis & urna dedit.
Erigitur, celeresque oculos circùm undique volvens
Rhenus, in absentes prospicit altus aquas.
Ecce citæ veluti, timidissima turba, columbæ
Accipitrem fugiunt, tectaque nota petunt,
Naïadum chorus omnis adest; celeresque timore
Aula natatrices accipit uda Deas.
Dumque tenent aliæ timidis complexibus urnam,
Una fugæ causas, Fonte jubente, refert.
Vidimus ignotas acies, populumque ferocem
Vincula litoribus nectere serva tuis:

Heroem-

Heroemque Jovi ſimilem, ſeu lumina ſpectes
  Ignea, ſeu fuſas clara per arma comas:
Seu ſpumantis equi velocia terga prementem,
  Et ſtimulantem oculis agmina mille ſuis.
Nequidquam fera tempeſtas Aquilonibus orta
  Sæviit; audaci remige rupit iter.
Nec potuêre acies, adverſiſque agmina ripis
  Siſtere victrices, aut prohibere manus.
Tale nihil, Latii poſt tempora Cæſaris, umquam
  Invitis doluit maximus amnis aquis.
Rhenus ad hæc totis infrenduit horridus antris,
  Altior & motis fluctibus intumuit.
Atque ita: poſt domitum captivo gurgite Scaldim,
  Nos quoque ſors eadem, ſervitiumque premet?
Dixit, & excutiens limoſam ad tempora barbam,
  In faciem veteris tranſit & ora ducis.
Nec mora, fulgenti conduntur caſſide vultus,
  Quemque manu premeret, lucidus enſis erat.
Addidit & fronti rugas, iraſque, minaſque,
  Longaque, nube latens, litora miles obit.
Jamque peregrinas Belgarum aſpexerat oras,
  Ultima quà Batavos alluit unda lacus.
Hîc acies ripâ ſpectat trepidare relictâ,
  Territaque in celerem vertere terga fugam:
Agmina magnanimos urgere natantia Gallos,
  (Prô pudor!) & mediis fluctibus ire truces.
Tum verò impatiens iræ, velamina nubis
  Diſcutit, & celſis clamat ab aggeribus:
Quò ruitis famæ immemores certique triumphi?
  Nullane vos patriæ cura cadentis habet?
Ecce ſuperbus init fluctus campoſque liquentes
  Hoſtis, & à tergo, ni prohibetis, adeſt.
Quis labor eſt, ſummæ defenſos aggere ripæ
  Nantia cum dominis mergere ſigna ſuis?
Si quid adhuc virtutis ineſt, convertite ſigna,
  Obviaque illuſtri pectora ferte neci.

Ipſe

Ipſe ego commotis illidam fluctibus agmen,
Vorticibuſque premens in freta longa feram.
Dixerat : ardenteſque oculos ad flumina Rhenus
Torſit, & adverſas hoſtibus urſit aquas.
Pluribus hortari vetuit furor. At pudor illos,
Gloriaque exſtimulans ſub ſua ſigna vocat.
Protinus audaci complentur milite ripæ,
Æraque in aggeribus concava mille locant.
Stat patriam tutari armis, ſtat pellere ripis
Agmina, & ignavæ terga negare fugæ.
Interea præſens acies Lodoicus euntes
Ordinat, & ſceptro caſtra potente regit.
Illius imperio Grammontius inſilit undis,
Auſus in adverſas ire natator aquas.
Exultat ſub aquis ſonipes; generoſaque tollit
Pectora ; flaventes verberat unda jubas.
Hujus ab exemplo totas innare phalanges
Fluctibus, & videas flumina ſumma tegi.
Apparent criſtæque leves galeæque micantes,
Atque aliquis ſummis tympana pulſat aquis.
Impatiens Rex ipſe moræ, miſſurus in undas
Pectora, majeſtas ni prohiberet, erat.
Stat tamen hortator pugnæ, remiſque carinas
Inſtruit : hæ celeres per vada ſumma volant.
Aſpicit hæc oculis Rhenus, quos ira tremendos
Fecerat, ut ſilvis tigris in Armeniis,
Aut velut Hircanus fremuit leo ; quem vaga circum
Turba reluctantem barbaraque haſta premit.
Nec mora, fulmineo tonuerunt aggere ripæ:
Unda repercuſſos vertit ad aſtra globos.
Litora conduntur caligine pulveris atrâ,
Ivit & infectis tardior amnis aquis.
Jamque diu nutans dubiis victoria pennis
Ambigit, atque acies inter & arma volat:
Donec diverſo Lodoicum in litore ſtantem
Vidit, & ad noti ſubvolat ora ducis:

Rega-

Regalesque assueta comas incingere lauro
  Gestit, & Heroi nectere serta suo.
Scilicet ille oculis dubiam convertere sortem,
  Ipsaque sub leges mittere fata potest.
Jam fractæ Batavorum acies, Rhenusque subactus
  Præbuit invito colla superba jugo.
Quid referam victasque arces, fluviosque, lacusque,
  Oppidaque, & captis Nerea litoribus?
Maturam ut velox segetem depascitur ignis,
  Cùm levis à tergo flatus & aura juvat:
Oppida sic marti cessere Batavica Gallo,
  Nostraque tunc primum lilia vidit hiems.
Swolla cadit, Campumque, Ultrajectumq;, nec alti
  Mœnia defendunt vix adeunda lacus.
Apta quidem vinci, sed non tamen apta referri
  Nomina, hyperboreo barbariora gelu.
Dî facerent toto Princeps Oriente redires
  Victor, & Euxinis mars tuus iret aquis!
Illic ut canerem victas feliciùs urbes,
  Regnaque nominibus nobiliora suis:
Et nemus Idæum, & Paridi quoque cognita tempe,
  Et veteris captas Laomedontis opes.
Hei mihi quàm lentè Troiam expugnastis Achivi!
  Viderunt fessas cur duo lustra rates?
O quantò citius cecidisset milite nostro
  Ilios, & nullis Pergama victa dolis!
Spem facis à victis nobis Lodoice Batâvis,
  Sentiat ut nostras ultima terra manus.

EPISTO-

EPISTOLA.

CAPRARA SERINIÆ.

ARGUMENTUM.

Postremo Turcico bello (quod Turcarum Imperator contra pacta sancitaque moverat) liberatâ gravi obsidione Viennâ, Austriæ metropoli, ac superatis non unâ victoriâ hostibus, res Othomannicæ retrò fluere cœperant. Quippe non jam Strigonium solùm & Novarinum, sed & Cassoviam, reliquamque ferè superiorem Hungariam arma Germanica occupaverant. Cælum quoque rebellibus Hungaris adversari visum. Nam & fulmen cecidit ad Comitis Teckelii latus, & ipse paullò post in vincula raptus, avectusque Constantinopolim. Quo fato exterritus Petenasius Comes, partes Teckelii & rebellium deserens, ad castra Cæsarea cum copiis suis transiit. Igitur qui partem tunc exercitûs Germanici moderabatur Dux Caprara, captâ recens Cassoviâ, cùm ad Mungatsiam moveret, hanc ad Seriniam Teckelii conjugem epistolam scripsit, quâ suadet, ut cladibus tandem suorum commota, se & arcem suam victori dedat.

FOrsitan Hungariæ cladem tibi rumor ad aures
  Pertulit, & nostrâ parta tropæa manu.
Forsan & à celsæ spectasti turribus arcis
  Castra triumphali nostra micare face.
Nec dubito quin jam cæsis Turcisque viroque,
  Agnoscas miseræ fata sinistra domûs:
Utque pio cælum pugnet pro Cæsare bello,
  Et Superi causam cœptaque nostra probent.
Fallor, an invidiâ conatibus æmula nostris
  Ureris, ardentes fusa rubore genas?

Pone

Pone truces animos; meliùſque precantia pacem
  Occurrant animo mitia verba tuo.
Hoc ego ſi taceam, fortuna miſerrima ſuadet.
  Hei mihi ſi contrà, quàm monet illa, facis!
Triſtibus eventis temeraria bella frequenter
  Damnat, & (heu!) ſerò pars ſuperata gemit.
Reſpice te, ſortemque tuam, cladeſque tuorum,
  Atque animo vires experiare tuas.
Scilicet imparibus concurres femina ſignis,
  Nec tibi terrorem Cæſaris arma ferent?
Ut tamen & numero fidas animiſque tuorum,
  Ut vigilent caſtris millia multa tuis:
Nîl agis : invitis quiſquis movet agmina Divis
  Concidet : exemplum Thracia victa dedit.
Illa potens armis, causâque potentior ibat
  Cæſar, & ultores traxit ad arma Deos.
Qui causâ vicit, pariter ſuperavit & armis.
  Perfidiæ pœnas Theſſala terra dedit.
Cauſa tua eſt ſimilis, neque tu melioribus armis
  Uteris in cladem perniciemque tuam.
Quid memorem quæ ſigna polus tibi certa furoris
  Detulit, & cœptis ſidera læva tuis?
Fulmina dicuntur cælo delapſa ſereno;
  Nubilus in medio vir tuus igne fuit.
Ille truci quamvis tantùm trepidaverit ictu,
  Et tulerit ſolas flamma propinqua minas:
Non ita vitavit cæleſtes devius iras,
  Debeat ut poſt hæc ſigna timere nihil.
Sæpè fugit tumidas ratis inclinata procellas,
  Et, ſemel ut pereat, ſæpè minatur hiems.
Altera tempeſtas, quod proxima diſtulit, affert,
  Quæque diu fugit retia ſentit avis.
Si tamen iſta tuus timuit tibi ſcribere conjux,
  Et mala te miſeram forſitan iſta latent,
Accipe (nec pudeat : fas eſt & ab hoſte doceri)
  Accipe Caprarae verba notata manu.

Invenies illic Romani Cæſaris armis,
Plurimaque auſpiciis mœnia victa meis.
Quæ ſimul aſpicies, ſortis meminiſſe decebit,
Quæ ſerò victis ſæpè dolenda venit.
Conſilium, non arma tibi fert litera noſtra:
Atque utinam lectâ cautior eſſe velis!
O ne femineos pudeat ſubmittere faſtus.
Cur tua victori reddere caſtra neges?
Hactenus armari licuit: ſi denique neſcis
Cedere; non virtus, ſed furor illud erit.
Quis niſi mentis inops, contra cælumque Jovemque
Arma ferat, capiti nîl metuatque ſuo?
Iſta Gigantei jam dudum inſania belli
Ignibus æthereis corripienda fuit.
Arma lupi taboque madentia ſpicula mordent,
Et malè luctando vulnera plura ferunt.
Te quoque, ſi pugnes plus quàm prudentia ſuadet,
Exitus haud diſpar, fataque dura manent.
Forſitan undè tibi mittatur epiſtola quæris?
Credula ſuſpecto ne capiare dolo.
Scilicet ex illis vênit tibi mœnibus, undè
Mars meus ad muros deſtinat ire tuos.
Quàm propè noſtra tuâ Caſſovia diſtat ab arce,
Tam propè Cæſareus jam tibi miles adeſt.
Nunc etiam motis procedunt agmina caſtris,
Famaque victores buccina ducit equos.
Fallor, an attonitam commovit epiſtola mentem,
Utque decet, bello proximiore tremis?
An caput Hungariæ noſtris ceſſiſſe triumphis
Abnuis, hâcque mihi credere parte negas?
Crede tamen, noſtris Caſſovia viribus impar
Ceſſit, & Auſtriacas nobilis auxit opes.
Odryſii fugêre duces, Iſtroque relicto,
Thracia quos miſit, mœſta recepit equos.
Læta ſuper noſtras volitat victoria turmas,
Spargitur & caſtris multa corona meis.

Luna

Luna triumphatæ contraxit cornua frontis:
  Palluit ad vultus Cæſaris illa mei.
Quid memorē lauros? quid partos marte triumphos?
  Oppida quid noſtrâ capta, vel uſta manu?
Strigonii muros, Novarinaque valla tenemus,
  Redditaque eſt domino Vatſia priſca ſuo.
Diruta victoris Segedini mœnia flammis,
  Et cecidit noſtro milite fortis Arath.
Victa caput regni Caſſovia: nec tulit ultrà
  Spernere Teutonicas arx Eperina minas.
Si de tot captis numerum perſcribere coner
  Urbibus, immenſi fama laboris erit.
Nec minùs ut campis exercitus ibat apertis,
  Clangeret & multâ pugna cruenta tubâ,
Sternuntur totis inimica cadavera campis,
  Atque aquilis Scythico roſtra cruore madent.
Jamque iterum, jam ſæpè cadunt; victoria palmas
  Multiplicat: victor prœmia miles habet.
Nec modò Pannoniæ noſtris ceſſere phalanges,
  Victaque non tantùm Biſtonis ora jacet,
Spes quoque veſtra cadit: ducibus Serinia victis
  Adjuvor, & caſtris ſtant tua ſigna meis.
Agmina deſeruit Petenaſius impia Thracum,
  Movit & exemplo millia multa ſuo.
Nec pudor eſt illi ſe jungere Cæſaris armis,
  Nec pudor eſt culpæ pœnituiſſe ſuæ.
Si tuus exemplo conjux foret uſus eodem,
  Non ſceleris pœnas ille daturus erat.
Sed bene conſuluit factis fortuna pudendis;
  Ducitur Iſmario victima grata duci.
Qui malè ſperavit populo ſolamen ab illo,
  Vincula pro meritis officioque refert.
Non tamen inſulto; doleo quoque caſibus illis:
  Atque utinam ſalvum dent tibi fata virum!
Sed vereor, quotieſque ſubit miſerabile bellum,
  Spes mea non falſo victa timore cadit.

Qui fuit hortator pugnæ, cadat hoſtia, dicent:
  Sanguine placanda eſt vindicis ira Dei.
Vertat in auctorem belli fortuna ſiniſtri,
  Cur toties noſtris oſſibus albet humus?
Victima pro cæſis tot millibus una litanda eſt:
  Occidat. Hæc populi vota furentis erunt.
Interea profugus redit ad tentoria miles,
  Viribus & creſco per tua damna novis.
Explicat & plenas ingens exercitus alas,
  Et mihi, quâ vincam, copia martis adeſt.
Nec mora: junguntur ſocialia fœdera dextris,
  Et fidei teſtes cogimus eſſe Deos.
Quis tibi nunc animus? quas concipis anxia curas?
  Hei mihi ſi fatis non moveare tuis!
Hei mihi ſi quid adhuc bello temeraria fidas,
  Et tibi ſpes tutas ſuadeat ulla moras!
Parce precor, pacemque armis Serinia præfer.
  Stulta, quid imbelles atterit haſta manus?
Dic mihi, femineis jactabis tela lacertis,
  Et tua veloces gloria vertet equos?
Forſan Amazonides imitaberis æmula matres,
  Abdita flaventes caſſidis ære comas?
Et poteris mediâ vallum defendere lunâ,
  Et mea nocturno fallere caſtra dolo?
Scilicet Auſtriadæ fugient tua ſigna cohortes,
  Ipſa triumphali celſa veheris equo,
Et veteres inter numeraberis heroinas,
  Accedet titulis Hungara terra tuis:
Femineoſque animos veniens mirabitur ætas,
  Quaſque feres lauros, ſecula ſera canent.
Deſine: nequidquam pretioſa pericula verſas,
  Atque animos fallax ludit imago tuos.
Sic quondam Iönios ſperans Cleopatra triumphos,
  Pernici fugit Cæſaris arma rate.
Illa quidem bello cecidit: tu vincere ſperas?
  Tu tua plus hujus tela valere putas?

Tu

Tu petis Auſtriacæ ſpolium ſublime ruinæ?
Tu patriæ lapſas una tueris opes?
Crede mihi, vanâ temeraria luderis aurâ.
Hei mihi ſi factis exitus iſta probet!
Non minor eſt armis Cæſar Germanicus illo,
Niliacæ quondam quem timuêre rates.
Hunc tremuit Nilus, Tanais perterritus illum:
Femineas premet hic, preſſit ut ille minas.
An tibi barbaricis lentus de cædibus Iſter
Excidit, & noſtrâ Thracia victa manu?
Neſcis extremis trepidet Mæotis ut undis,
Horreat ut noſtras Taurica terra minas?
At reor, in mediis ſecura paludibus hoſtem
Arcebis muris, nec timor ullus erit.
Udaque præcipites defendent mœnia foſſæ,
Nec poterit gelidis mars meus ire vadis.
Quippe carebat aquis, nec erat quod cingeret arcem
Flumen, & obliquis curreret aggeribus,
Cùm cecidit noſtris Novarinia victa ſub armis,
Et cava ſubjectis vinea naret aquis.
Crede mihi, nullis aquilæ prohibentur ab undis,
Perque vagos amnes & freta lata volant.
Jam tibi prædicunt minitantia roſtra ruinam:
Quid facies, victor dum tua caſtra premam?
Dum tua fulgebit tonitru Mungatſia noſtro,
Plurimaque adverſam victima planget humum?
Turpiùs ah! cedes, & debellata rogabis,
Quam tibi nunc veniam Cæſar opemque parat.
Jam potes imperio meliùs te jungere noſtro,
Et meliùs famæ conſulere ipſa tuæ.
Nec tibi difficiles aditus ad fœdera noſtra
Finge, dabit ſocias Auſtria ſponte manus.
Eia age præſidio ſis tuta Ragotſia noſtro,
Nec tibi, qui noceat, barbarus hoſtis erit.
Reſpice depoſitis, quæ mars tuus improbat, armis,
Quanta tibi Cæſar commoda paxque ferat.

Scilicet Auſtriades inter pulcerrima matres
Ibis, odoratis gemmea tota comis:
Et tua nobilitas auguſtæ cognita ſtirpi,
Inter erit noſtras conſpicienda nurus.
Ruſtica quid gelidis ignotaque montibus hæres?
Non facit ad mores tam gravis aura bonos.
Quid juvat heu! nivibus, Scythiæq; Aquilonibus uri,
Et caput in rigidâ ſemper habere lupâ?
Rupibus atque hiemes longas durare remotis,
Vixque tui tutam mœnibus eſſe loci?
Eſt quærenda tuis natalibus altera tellus.
Imperii neſcis luxuriantis opes.
Hìc tibi delicias Iſter, vicinaque tempe,
Ruraque credibili fertiliora dabunt.
Seu placeat luſtrare nemus venatibus aptum;
Ipſa leves arcus, aurea tela geres:
Et ſocias inter Diana videbere Nymphas,
Nuda genu, pavidas excipieſque feras.
Seu magis in ripa libeat concurrere cymbis,
Inſula formoſas quà jacet inter aquas.
Seu, dum bruma riget, nitidæ penetralibus aulæ
Fallere jactato frigora longa trocho.
Denique quæ nequeat tibi litera cuncta referre,
Plura tuis coram moribus apta leges.
Si tamen arva magis placeant Mungatſia noſtris,
Arbitrio dabitur terra tenenda tuo.
Ne modò præſidio careas & milite noſtro,
Qui tibi ſecuræ cauſa quietis erit.
Hæc ſunt juſſa mei Serinia Cæſaris : illâ
Parcere ſubjectæ conditione parat.
Si ſapis, haud ſocias dubites admittere dextras:
Sic tibi non hoſtis, ſed novus hoſpes ero.
Mutua firmabit meliùs præſentia fœdus,
Atque animo dices verba minora meo.
Forſitan abſentis moveat te cura mariti,
Et cupias reduci fida manere viro?

Scilicet

Scilicet immitis quem ſtringunt vincla Tyranni.
  Hei mihi quàm vanas ſpes alit iſta moras!
Non ego falſa loquor, tenebris & carcere claudi
  Dicitur, at fatis occubuiſſe reor.
Proxima cùm ſurget tenebris aurora fugatis,
  Aſpicies campis agmina noſtra tuis.
Aut pacem inveniam, vel tu mea bella videbis,
  Victaque cum fatis ſera querêre tuis.

EPISTOLA.

SERINIA CAPRARÆ.

ARGUMENTUM.

Serinia varias prætexens rationes, ſe & arcem ſuam dedere recuſat. Atque imprimis avidam ſeſe gloriæ oſtendit, potiùſque pro tutandis mœnibus mori paratam, quàm turpi (ut putabat) proditione inurere famæ ſuæ maculam, & fidem, quam marito ſuo obſtrinxerat, violare. At verò objectam ſibi temeritatis ac pertinaciæ notam, ſi deſperatis rebus, cedentibus ceteris, una obluctari pergat, vertit in argumentum conſtantiæ, fortitudinis, fidelitatis; egregio muliebris faſtûs venturis ſeculis documento. Victa tandem bello, & in Auſtriam abducta, captivitatis ſortem, quam vitare licuiſſet, ſuâ ſibi pertinaciâ aſcivit.

SCribis ut Auſtriacis Caſſovia ceſſerit armis,
  Et memorem ſortis me cupis eſſe meæ.
Tu quoque fortunam (ne quid peccaveris illâ)
  Quæ favet, adverſam poſſe venire puta.
Utile conſilium, ſi tu tamen uteris illo,
  Ne monitor monitis corripiare tuis.
Me ſimul hortaris ne quid temeraria peccem,
  Scilicet ut faciles dem tibi victa manus.

Nîl ego peccabo, nisi si peccare putetur,
  Conjugii renuit quæ violare fidem.
Si scelus esse putas, tuear quod jura meorum,
  Quod foveam fido pignora cara sinu:
Hoc suadet natura scelus. Temeraria dicar
  Judice te: cælo judice fortis ero.
At mihi (sic fingis) cælum dat signa furoris,
  Et mea judicio causa maligna tuo est.
Gratulor augurio. Quæ te tamen Attica Delphos
  Edocuit fati sidera læva mei?
Sit mihi libertas similis, dicam impia vobis
  Bella geri, & causæ de levitate querar.
Sed nîl dissimulas, pugnataque prælia jactas,
  Et metuis ne quà tristior esse velim.
Vincula certa viri, delapsaque fulmina narras,
  Et venisse meos in tua castra duces:
Multaque præterea, quorum si singula credam,
  Sit mea simplicitas grata futura tibi.
Quare, ne fastûs mea fortè silentia culpes,
  Hæc responsuris accipe verba notis.
Haud equidem invideo partos tibi marte triumphos,
  Nec mihi (ne fingas) fama molesta tua est.
Invidiâ segnes, fortes virtute moventur.
  Ne quà degenerem, tu mihi calcar eris.
Fama mihi virtusque placent: damnamus inertes,
  Fortunamque sequi femina turpe reor.
Qui tulerit sortem quam dat Deus, integer ille est;
  Sive adversa sibi, sive secunda venit.
Hæc Dea plebeias animas, generosaque prodit
  Pectora: desidia est succubuisse malis.
Et vitium est rebus nimis exultare secundis,
  Aurea nec sortis frena tenere suæ.
Non ego te damno: tua nota modestia nobis.
  Quis prohibet laudem me quoque ferre meam?
Laus tua sit Caprara, carens victoria fastu:
  Laus mea, victrices non timuisse manus.

Parti

Parti quemque ſuæ ſumma eſt manſiſſe fidelem
Gloria : res factis eſt manifeſta tuis.
Scilicet Hungariam, geſto pro Cæſare bello,
Es pretium fidei dignus habere tuæ.
Illa tuis armis ceſſit, tibi gratulor illam,
Illa tibi æternum ſubdita nomen erit.
Quæ tua fama foret, ſi nunc fortaſſe lateres
Finibus extremæ transfuga Vallachiæ?
Aut tua Threiciis junxiſſes arma ſagittis
Perfidus, & patriæ proditor ipſe tuæ?
Qualis ad Auſtriacos verſis Petenaſius armis
(Prô pudor!) infami dicitur iſſe fugâ.
Illum etiam noſtris infeſtum currere muris
Fama eſt, nec capiti parcere velle meo.
Dî melius! Scythiciſque cadat precor ante ſagittis
Obrutus, aut noſtro vulnus ab enſe ferat!
Perfidiæ meruit pœnam. Quid fiditis illi?
Sorte levi versâ, transfuga rurſus erit.
Caſibus adverſis virtus mavortia creſcit,
Vulneribuſque ſuis ira leonis adeſt.
At capreæ, & pavidum lepores genus, ilia rumpunt
Curſibus, ut ſilvis cornua prima ſonant.
Ipſe vides profugis tibi quid ſperetur ab iſtis,
Quos levis in celerem concitat aura fugam.
Impie non puduit Petenaſi fœdera pacta,
Promiſſamque mihi fallere velle fidem?
Ne memorem heroës alios, Mungatſia noſtra
Quos tenet, abſenti pectora fida viro,
Virtutem certè poteras vel ab hoſte doceri,
Si qua tibi famæ cura ſuperſtes erat.
Principio belli gemeret dum marte Vienna,
Quò tulerat vires Turcia tota ſuas:
Auſtria barbaricis cùm ferveret undique flammis,
Ipſe dolens patriâ Cæſar abiret humo:
Auſtriaci tamen arma duces tenuêre fidemque,
Nec timidæ imbelles terga dedêre fugæ.

Mars

Mars pater, æternâ digna eſt ea gloria lauro,
Hunc potes & faſtis annumerare diem,
Quo ſteterunt fortes contra tot millia pauci,
Nutaret Latii dum caput Imperii.
Perfidus hoc poterat, ſi non inglorius eſſet,
Exemplo ſortem diſcere ferre ſuam.
Et poterat mala fata novi ſpe vincere belli,
Et ſemel adverſos eſſe putare Deos.
Nunc quia deſeruit domini vexilla prioris,
Perfidiæ toto nomen ab orbe feret.
Hæc quoque tu narras? nec te pudet illa referre?
Illius exemplo ſollicitanda fui?
Sic tibi nota fui Serinia? Terra dehiſcat
Ante mihi, & meritam regna ſub atra ferat!
Non ſum adeò laudis famæque oblita meorum,
Erronem ſimili quæ levitate ſequar.
Te quoque, cùm tantum tua ſuaſit epiſtola crimen,
Credibile eſt tacitis erubuiſſe notis.
Non tibi cum verbis (ſi te modò novimus ipſum)
Convenit, & factis deſtruis illa tuis.
Verba nefas ſuadent: animo, ne perſequar, oras.
Ignoſcas: animum, non tua verba ſequar.
Crede mihi, quid nos deceat tua facta loquuntur,
Tu mea me vobis claudere caſtra doces.
Tu facis, ut bello Mungatſia mœnia tuter,
Ut ſubeam longâ pulcra pericla morâ.
Moribus Auſtriadûm belli contemnere caſus
Inſtruor, hoſtiles nec timuiſſe minas.
Quam petis & precibus verbiſque minacibus arcem,
Si tradam, à factis dicar abire tuis.
Cùm peterent Thraces muros & Cæſaris urbem,
Hoſtibus in mediis te duce tuta fuit.
In te quod laudas, in nobis carpere noli,
Ut mihi veſtra fides, noſtra probanda tibi eſt.
Non potes abſolvi, niſi nos abſolveris ipſe.
Cur veniam facto, quod facis ipſe, neges?
Ergo

Ergo ego ſi damner, mecum damneris oportet,
  Unaque ſupplicii cauſa duobus erit.
Sed nec ego admittam tantum Serinia crimen.
  Sit mihi pro patria dulce perire mea.
Aut mihi continget defenſis gloria muris,
  Aut melior belli mors mihi finis erit.
Utque tuis impar concedam femina telis,
  Non inhonora mei fama cruoris erit.
Sæpè tulit victis æternum gloria nomen,
  Famaque de miſeris cladibus alta venit.
Troia ignota foret, ſi non incenſa fuiſſet:
  Illius in toto jam volat orbe cinis.
Parce precor faſſæ : ne jam temeraria dicar,
  Exemplo didici fortior eſſe tuo.
Utque tibi Cæſar, ſic vir mihi ſemina laudis
  Subjicit, & ſtimulos addit uterque pares.
Et mihi militiæ cura eſt : tu Cæſaris arma,
  Ipſa mei miles conjugis arma ſequor.
Nec tibi ſit mirum dicar quod femina miles,
  Non erit hæc generis gloria prima mei.
Non tamen hiſtorias mens eſt revocare priores,
  Heroëſque meæ commemorare domûs.
Dummodo degeneri maculem ne ſanguine ſtirpem,
  Hoc ſatis ad laudes temporis hujus erit.
Quare ne proavis indigna Ragotſia dicar,
  Parce animum blandis ſollicitare dolis.
Tuque tuo domino maneas, ego fida marito,
  Exemplum ut famæ ſimus uterque bonæ.
Quid mihi delicias Iſtri nemorumque receſſus
  Objicis, & luxus, Auſtriacaſque nurus?
Quid quereris ſolis deſertam ducere vitam
  Montibus, arctoo quà furit aura gelu?
Et propè perſuades, & te facit aula diſertum,
  Atque aliæ poterant hâc quoque parte capi.
Omniaque invitant; & ni pietaſque fideſque
  Obſtet, in amplexus fœderis ire velim.

Sed

Sed tamen exiguo dicar Serinia felix,
  Si probitas tantas ſpernere poſſit opes.
Impius eſt quiſquis mercatur crimine regnum.
  Integra ſim : quæſo vilis inopſque vocer.
Non mihi ſint tanti gemmæ, non Auſtria tota,
  Ut levitas famæ nota ſit ulla meæ.
Si tibi regna Aſiæ totuſque parabitur orbis,
  Dic mihi, perfidiæ crimine dives eris?
Juſtior es, maliſque fidem præferre coronæ,
  Et calces facili Perſica ſceptra pede.
Sic ego te novi; ſic me quoque noverit hoſtis:
  Nec dubito, tacitus quin mea facta probes.
Quid memorem thalami ſocialia fœdera noſtri?
  Hæc quoque me fidam cauſa ſecunda facit.
Fœdera militiæ te tantùm : me quoque lecti
  Jura tenent, & Hymen ſub ſua ſigna vocat.
Finge dari mea caſtra tibi Mungatſiaque arva,
  Quæ tuus, ut ſcribis, Cæſar habenda petit:
Cæſar Teutonicis Iſtrum qui territat armis,
  Quique minùs victor, quam pius, eſſe cupit.
Finge dari mea caſtra tamen. Num fida marito
  Dicar? num thalami fœdera noſſe mei?
Debita num parvis ſervare nepotibus arva?
  An potiùs natis dira noverca canar?
Fortunâque levis dicar cecidiſſe ſiniſtrâ,
  Atque probaturis femina victa malis?
Denique num reducem excludam ſcelerata maritũ?
  Quem fruſtrà fatis occubuiſſe putas.
Vivit enim, fidoſque abſens mihi nutrit amores,
  Atque abiens fidei pignora multa dedit:
Et tibi commendo, dixit, cum mœnibus arcem,
  Conjugii dotem fac tueare tui.
Hanc tibi vir ſervo: neque me, dum vita manebit,
  Arguet oblitam fœderis ulla dies.
Verte (quid indecori parvos premis agmine muros?)
  Verte acies, cœpti pœniteatque tui.

Ire per extremum tua gloria debuit Istrum,
  Quid teris hîc longas obsidione moras?
Quam tibi victa dabit victori femina laudem?
  Desere dotales invide raptor opes.
Non cupit has Cæsar: qui cùm mitissimus audit,
  A scriptis certè diffidet ille tuis.
Ista tuis tantùm mihi vênit epistola verbis,
  Nec partem in tanto crimine Cæsar habet.
Tristibus imperiis clementia Principis obstat.
  I, malè concepti contrahe vela doli.
Imperat hoc Cæsar: nam qui tot possidet urbes,
  Millia tot victi jugera vasta soli.
Quem sibi finitimum modò Transilvania sentit,
  Cui parat & famulas volvere Dravus aquas,
Danubiusque suas jam dudum tradidit urbes,
  Invidus hic parvæ scilicet arcis erit?
Quæ procul Hungariæ summis in finibus hæret,
  Rus breve, & æterno frigore triste solum.
Quam si possideat Cæsar tuus, ipse relinquat,
  Et dignam sceptro non putet esse suo.
Nam velut hic magna Princeps dominatur in aula,
  Maxima sic illum vincere regna decet.
Perque Asiæ fines aquilas urgere volantes,
  Ut minuat titulos barbara terra suos.
Aut procul injiciat captivo vincula Nilo,
  Addat & imperio thurea regna suo.
Utque decet, superare pares, transire minores
  Pergat, nec minimis magnus adesse velit.
Sic poterit fortis pariter mitisque vocari,
  Fortunâque geret prælia digna suâ.

FINIS.




SUMMA
PRIVILEGII.

CAROLUS VI. Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus; Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Diplomate ſuo ſanxit, ne quis per ſexennium præter EUGENII HENRICI FRICX, Typographi Bruxellenſis voluntatem librum cui Titulus: LIVINI MEYERI *è Societate* JESU *Poematum Libri duodecim* in Belgio imprimat, ſive alibi locorum impreſſum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, aut venalem exponat. Qui secùs faxit exemplarium confiſcatione atque alia gravi pœna mulctabitur; uti latius patet in litteris datis Bruxellis 3. Septembris 1727.

Signat.

J. DE WAHA.












3.










LIVINI
MEIERI





colorchecker CLASSIC






calibrite

mm